



1727  
964  
10

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**GENVINA  
POENARVM  
ECCLESIASTICA-  
RVM INDOLE**

QVAM  
INDVLTV FACVLTATIS IVRIDICAE  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRAESIDE  
DOMINO  
**IVST. HENNING. BÖHMER**

IC TO  
POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS CONSILIARIO IN-  
TIMO PROFESSORE IVRIS ORDINARIO

**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE CAPESSENDI HO-  
NORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

DIE XIV. IVL. MDCCXXVII.

H. L. Q. C.


PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVB MITTIT  
**MARTINVS GALLVS KVHN**

LVBENA LVSATVS  
ADVOCATVS ORDINARIVS MARCHIONATVS LVSATIAE INFERIOR.  
ET ELECTORATVS SAXONIAE.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
Typis IOAN. CHRIST. GRVNERTI, Academ. Typogr. (10 1/2)





V I R O  
EXCELLENTISSIMO, CONSVL-  
TISSIMO ATQVE PRAENO-  
BILISSIMO  
D O M I N O  
Dn. I O H A N N I  
CHRISTOPHORO.  
BERG AV  
ICTO CELEBERRIMO  
REVERENDISSIMI ATQVE SERE-  
NISSSI DVCIS SAXO-MARTISBVR-  
GICI CONSILIARIO CAMERAE PRAEFECTVRA-  
RVM, ET OFFICIALI, SPECIALITER GEGEN-  
HAENDLER DICTO, IN MARCHIONATV  
INFERIORIS LVSATIAE

PATRONO SVO

OMNI CVLTV FILIALI PROSE QVENDO

S. P. D.

MARTINVS GALLVS KVHN.





Educationum fere omnium,  
MECAENAS OPTIME,  
scopus hic primarius esse so-  
let, vt Autores gratiam viro-  
rum maximis meritis deco-  
ratorum demereantur. Neque hoc adeo re-  
probandum esse existimo, cum quilibet fa-  
luti suæ consulere, protectionem poten-  
tiorum sibi querere, aditumque ad eorum  
indulgentiam sibi parare debeat. Enim-  
vero ego nunc quidem hoc non ago, sed  
ab his rationibus alienum me esse ingenue  
pro-

profiteor, dum nomini TVO, VIR EX.  
CELLENTISSIME, meditationem hanc,  
quam publici iuris feci, dicare atque conse-  
crare constitui. Sunt enim rationes ad-  
ductæ vulgares & plerisque communes;  
mihi omnino propriæ & domesticæ causæ  
sunt, vt TIBI, VIR OMNI HONORIS  
CVLTV PROSEQVENDE, de studio-  
rum meorum ratione rationes redderem,  
atque in argumentum obseruantiaæ meæ,  
in TE singularis, hunc ingenii mei fœtum  
TIBI offerrem. Caput enim es illius fa-  
miliæ, cum qua vinculo connubiali, TE vt  
patre patrocinante, me vnire licuit, quem-  
que TV per filiam dilectissimam in filii lo-  
cum benignissime adsumere voluisti. Qua  
de causa in filialis obsequio documentum  
opusculum hoc TIBI deuota mente offe-  
ro, & omnibus a TE contendo precibus,  
vt quod ex filiali obsequio profectum est,  
amore paterno prosequaris, eique pretium  
magis ex TVO erga me affectu, quam ex  
merito



merito suo concilies. Hoc si a TE impe-  
trauero, prout firmissime spero, id ipsum  
non tantum insigne mihi afferet gaudium,  
sed etiam me magis magisque inuitabit, vt  
pro TVA salute & incolumitate quotidie  
ad DEum preces fundam. Et sicuti com-  
modis SERENISSIMI PRINCIPIS TVI  
ac bono publico invigilas, nec ullum sub-  
terfugis labore, quem pro necessitate &  
vtilitate reipublicae subeundum existimas;  
ita vires sufficientes TIBI a DEO appreco-  
r voueoque, vt in Gentis TVAE solatium,  
vnde & mea incolumitas dependet, DEVS  
T. O. M. TIBI Nestoris annos largiatur.  
Vale. Dabam Halæ Saxonum, die 14. Iulii  
MDCCXXVII.





DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
GENVINA  
POENARVM ECCLE-  
SIASTICARVM  
INDOLE.

§. I.



Elicitaris humanæ hæc præcipua Felicitas hu-  
conditio atque ratio est, vt in mani generis  
tranquillitate, pace atque concordia in pace quæ-  
viuant inter se homines, & agno-  
scant, se a Deo naturali quadam  
societate esse copulatos atque de-  
vinctos, cuius vinculum singulis  
sanctissimum esse debet. Hac de causa singulis tunc  
a Deo, iuris naturæ conditore, tum ab imperan-  
tibus hominibus præscripta sunt officia, secundum ad quam offi-  
cia hominum  
quæ tum in magna illa naturali, tum in particulari-  
bus ciuilibus societatibus viuere debent, vt suum cui-  
que tribuatur. Hoc facto vera hominum tran-  
A quilli-

ad quam offi-  
cia hominum  
reducenda

ut enique  
suum tribua-  
tur.

Ab hac felici-  
tate tamen  
homines vt  
plurimum  
alieni

& ad discor-  
dias proni  
funt.

Ergo ad offi-  
cium co-  
gendi

etiam per  
penas

quillitas demum obtinetur, quæ percontrarium admodum laeditur, si suum cuique non tribuitur, id quod ex officiis singulis praescriptis patescit. Vnde meo iudicio haud errant, qui afferunt, centrum omnis iurisprudentiae in unico hoc principio colloquandum esse: SVVM CVIQUE TRIBVE, quia, qui huic satisfacit, exacte officium sibi per leges praescriptum implet, tranquillitatem generis humani conferuat, atque ita inserviat & vivit.

§. II. Quo magis vero haec felicitatis humanae conservatio est necessaria, & ad generis humani salutem omnimodam pertinet, eo minus inter homines, si usum eorum communem consideraueris, eius ratio haberi solet, conatibus consiliisque humanis in peius & contraria ruentibus, quibus a vera felicitate quam longissime receditur. Sunt hominum mores ex innata concupiscentia, ad discordias & bella proclivi, ita comparati atque compositi, vt pro vero eligant bonum apparet, & si libertati sue relinquuntur, nihil non audeant, quod societas humanae vinculum destruat, rumpat, solvat, atque ima summis misceat. Quod ne fiat coactione congrua opus est, quo homines rebelles in officio contineantur, & suum cuique tribuant, vt pote sine qua salus hominum maxime in statu civili subsistere nequit, quæ prima & suprema lex esse debet. Atque inde non tantum in statu civili auctoritas iudiciorum, imperium, & legum vigor derivanda sunt, sed imprimis POENAE originem traxere, quæ nihil aliud sunt, quam medium coactivum retinendi homines ad deuia pronus in officio & tranquillitatem generis humani premouendi atque confirmandi.

Optime



Optime CICERO Philipp. VIII. In corpore si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, vni, secarique patimur, ut membrorum aliquod potius, quam totum corpus intereat: sic in reipublica corpore, ut totum saluum sit, quicquid est pestiferum, amputetur. Huc enim imprimitis panarum propositio & executio tendit, ne iniuriæ, damna, vel delicta, quibus tranquillitas publica potissimum turbatur atque lœditur, fiant atque committantur, non vero vt erga delinquentem iræ impetus aut vindicta exerceatur. Nam, sicut PLATO ait, nemo prudens punit, quia, peccatum est, sed ne peccetur, ut verba LACTANTII de ira Dei c. 18. n. 5. mea faciam.

Planius forsan pleniusque rem his illustrat verbis SENECÆ de clement. lib. I. c. 22. in iniuriis vindicandis hæc tria lex secuta est: aut vt eum, quem punit, emendet: aut vt pena eius ceteros meliores reddat, aut vt, sublati malis, securiores ceteri viuant. Præterea IDEM Lib. I. de ira c. 16. PLATONIS sententiam paulo clarius explicat, & rationem omnium poenarum his declarat verbis: Hoc semper in omni animaduersione seruabit, ut sciat, alteram adhiberi, ut emendet malos: alteram vt tollat. In vtraque non præterita sed futura intuebitur. Nam, sicut Plato ait, nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. Reuocari enim præterita non possunt, ( seu facta infecta fieri nequeunt) & quos volet nequitiae male cedentis exempla fieri, palam recidet, non tantum vt pereant ipsi, sed vt alios pereundo deterreant,

quorum ra-  
tio explica-  
tur.

§. III. Constat vero, poenæ esse vel *seculares* Poenæ sunt  
vel seculares  
vel ecclesiasticae  
vel *ecclesiasticas*; illas quidem exerceri in foris cri-  
minalibus, & ad mortis supplicium pro renata ex-

tendi;

A 2



inter quas  
vulgo diuer-  
sitatem insi-  
gnem consti-  
tuunt

quod illustra-  
tur ex Gibali-  
no.

qui spiritua-  
lem effectum  
in ecclesiasti-  
cius querit,

tendi; has vero in iudicis ecclesiasticis infligi sontibus, ast ab omni supplicio sanguinis esse alienas iuxta vulgatum illud: *ecclœsa non sit sanguinem.* Insignem vero præterea diuersitatem inter has pœnas consti- tuunt ratione *finis & effectus*, censentque, secularibus quidem tantum impediri *delicta futura*, & *tranquilli- tatem exterrant*, ne quisquam eam infringat, circumual- lari; pœnas ecclesiasticas autem & imprimis censuras esse *spirituales*: scopum *spiritualem* habere: intendere bonum & salutem animæ: homines interne bonos & christianos efficere, & quod *coactionis* in eo appetet, esse magis fraternam, amicam, *spiritualem*, piamque compulsionem, medicinam animæ ægrotantis, remedium contra peccata, & charitatuum medium, quo fordes peccatorum abstergi possent. Vnoverbo: esse nonnunquam magis *censuram* quandam morum emendandorum, quam pœnam propriæ dictam. Ac ne quid temere effingere, aut somnia in scenam producere videar placet nonnullorum iuris canonici interpretum sententiam in medium proferre. Ex professo de hoc themate egit JOSEPHVS GIBALINVS, e societate Iesu Theologus, *de sacra iurisdictione in fe- rendis panis & censuris ecclesiasticis*, vbi disquis. I. q. I. ante omnia de conceptu *pœnae ecclesiastice* sollicitus est, eamque esse dicit, *quaæ a sola ecclœsa in delicti ali- ciuius coercitionem infligi potest, cuiusmodi pœna est dunta- xat spiritualis.* Pœnas temporales & corporales non recte dici *ecclesiasticas*, quamvis etiam ab ecclœsa infligantur, censet, quod illi haec pœnae sint communæ in politica & temporaria principum potestate. Addit tamen, pœnas has infligi aliter a seculari aliter a *spirituali-* potesta-



potestate; ab hac non aliter nisi aut propter connexionem si vel maxime  
quam habent cum paenit spiritualibus, aut certe propter fi-  
cum republi-  
ca sunt com-  
nem aliquem spiritualem & unimarum salutem, quam munes.

vnam spectat rota hæc sacra politia. Inde tandem con-  
cludit: quare sala spiritualis, ecclesiastica iure merito di-  
ci poterit, & vicissim omnis pena ecclesiastica, spiritualis  
erit, sive quia proficitur a spirituali potestate, sive quia  
in finem spiritualem tendit, sive quia paenam spiritualem,  
quam ex quadam necessaria consecutione comitur, propria*re* propria*re*  
supponit; sive denique quia obiectum spirituale habet, que  
postrema est omnium maxime proprie pena spiritualis &  
ecclesiastica, de qua specie primaria se in supra allegato  
tractatu acturum pollicetur.

§. IV. Ita quidem generatim philosophandum distinguit ta-  
sse ex mente ecclesiae Romanae censet. Specialius men censuras  
tamen iuxta scholasticorum doctrinam discriminat fa-  
cilitat. c. l. n. 2. seqq. inter penas ecclesiasticas & censu-  
ram; quod illa sit priuatio honorum spiritualium per  
ecclesiasticam potestatem in criminis alicuius punizio-  
nem fontibus inficta; hæc vero sit pena spiritualis  
& ecclesiastica, priuans usu quorundam honorum spi-  
ritualium ad rei correctionem imposta. Ita vero vi-  
dentur distingui, ut genus & species, ut quidem  
omnis censura sit pena ecclesiastica, non vice versa.  
Conuenire enim dicantur in eo, quod priuationem  
honorum spiritualium contineant, h. e. eorum hono-  
rum, quæ publici iuris & omnibus in ecclesia commu-  
nia sunt, quorum dispensatio ecclesiae i. e. clericis &  
imprimis maioribus, a CHRISTO fuit concedita,  
quorum pertinent sacramenta, sacrificia, beneficia  
ecclesiastica, spiritualis iurisdictio, publica suffra-

gia, cetera. Habet enim ecclesia *thesaurum* amplissimum exauriri nescium, immensumque, variis gratiis & bonis spiritualibus refertum, quem sicuti effundit in bene meritos fideles & obsequentes liberos; ita eiusdem subtractione punit fontes. Vtrumque facere dicitur ut *pia mater*, quia etiam ecclesia dum punit, salutem animæ & bonum spirituale intendit.

Species cen-  
furarum ex  
mente Giba-  
lini.

§. V. Sed in quo specialius differat *censura* a reliquis *pœnæ ecclesiasticis*, paulo subtiliorem meditationem meretur, qua delectantur scholastici, adeoque necesse erit varias species tum *pœnarum* tum *censurarum* referre. Quæsus INNOCENTIVS III. in c. 20. X. de V. S. quid per *censuram ecclesiasticam* intelligi debeat, cum huiusmodi clausula in rescriptis apposita fuerit; responderet, quod per eam non solummodo *interdicti* sed *suspensionis* & *excommunicationis* sententia valeat intelligi. Hæc diuisio ansam interpretibus dedit disputandi, vtrum adæquate & complete omnes species censurarum hic relate fuerint? Quod negare videtur GIBALINVS cit. I. qu. 22. & cum eo GONZALEZ ad cit. c. 20. aliis id affirmantibus, vt hac in re sibi non satis constent. Præterhas species enim aliae adhuc pœnæ ecclesiasticae sunt, que in *ad ducto principio*, quod vulgo tradunt, conueniunt, vt irregularitas ex delicto, depositio, degradatio, & cessatio a diuinis, quibus septem speciebus absoluit catalogum *pœnarum* & *censurarum* ecclesiasticarum stricte dictarum. Miror hoc non fuisse relatum *ademptionem priuilegorum*, aliorumque iurium ecclesiasticorum, quæ etiam bona spiritualia sunt, quia omne quicquid ab ecclesia & ex eius *thesauro* proficilcitur, *spirituale*

Species pœ-  
narum ecclæ-  
siasticarum  
strictæ dista-  
rum

rituale dicitur, quam ob causam supra GIBALINVS iu-  
risdictionem ecclesiasticam quoque ad bona spiritua-  
lia seu patrimonium ecclesiae spirituale retulit. De-  
trusionem in monasterium & paenitentiam ecclesiasticam  
prorsus silentio omittit, cum illa tamen clericis in  
paenam, hoc vero quibuslibet delinquentibus impo-  
ni soleat, nihilque frequentius sit in iure canonico,  
quam paenitentiam dici paenam. Forsan id ideo factum  
esse reor, quod conceptum paenae ecclesiastice adeo  
cum plerisque coangustauerit, ut eam primario in  
priuatione boni spiritualis constituerit, credideritque  
eam nunquam consistere in inductione alicuius rei  
positiue, quod in vtraque specie tamen fieri videtur.  
Si enim, ait qu. 1. n. 2. daretur aut fingeretur eiusmo-  
di qualitas, quanam ratione per illius impressionem  
torquerentur rei? Quod tamen non adeo fingendum  
est, cum evidentissimum sit, in paenitentia & detru-  
sione in monasterium homines satis torqueri, præ-  
fertim si illa cum carena coniuncta est, & secundum  
antiquos cruciatus consideratur. Denique non dif-  
fitetur GIBALINVS disq. I. q. 1. n. 1. ecclesiam etiam pœ-  
nas temporales & corporeas infligere, vt multas carce-  
ris temporalis vel perpetui, confiscacionis bonorum,  
verberum seu flagellationum, imo etiam exilii supplicia  
que tamen, quia communia sunt cum politica po-  
testate, omitti solent, interim tamen in verbis §. 3.  
adductis fassus est, eas aliter infligi ab ecclesia, ali-  
tera a magistratu politico, vt qualitatem imaginariae spi-  
ritualem omnibus peenis ecclesiasticis tribuere queat.

Recepit et.  
iam ecclesia  
pœnas tem-  
porales.

§. VI. Si recte mentein GIBALINI concipio, Inde tres pœ-  
tres veluti classes panarum, quas ecclesia infligit, con-  
narum ha-  
rum classes.  
stitu-



## 1) censura

stituenda sunt. Prima comprehendit *censuras ecclesiasticas* stricte dictas, potissimumque in tribus ad ductis speciebus consistit, quibus tamen IDEM in tractatu de irregularitate C. 1. qu. 2. addit irregularitatem ex delicto.

## 2) poenae ec-

clesiasticae

stricte dictæ,

3) poenastem diuinis.

porales, qui-

bus etiam ec-

clesia vtitur,

censuram

propriae qua-

litates

qualitates

poenarum ce-

terarum

Altera continet reliquias penas ecclesiasticas, ecclesiæ proprias, ut *degradationem, depositionem, & cessationem a*

*reipublicæ, tam ecclesiastice quam seculari, ut tamen illa in diuersum finem illas exerceat h. e. propter finem spiritualem & animarum salutem, quam unam spectare*

*dicitur sacra politia ex mente GIBALINI. Ad CENSU-*

*RAS quod attinet, earum has proprias qualitates, quibus a reliquis *pœnis* distinguuntur, constituit:*

1) quod priuent hominem tantum *usu bonorum spiritualium communium, & quidem 2) ad tempus, ut non*

*sit perpetua sed tolli debeat, quam primum reus re-*

*fipiscit. Denique 3) quod vnicce intendat emenda-*

*tionem & correctionem delinquentis vel contumacis.*

Ceterarum poenarum ecclesiasticarum stricte dicta-

*rum contrarias qualitates esse censet GIBALINVS, quod a) spoliene delinquentem non modo *usu*, sed*

*potestate etiam & facultate, ut degradation, depositio (&*

*sic etiam irregularitas ex delicto contracta contra*

*sententiam GIBALINI) b) quod perpetuum effectum sua*

*natura habeat, atque c) primario intendant criminis commissi punitionem, seu vindictam ex iustitia communi-*

*tatiua. Hunc diuersum finem intrinsecum late expo-*

*nit GIBALINVS disqu. 2. qu. 1. n. 3. & ex scholasticorum*

*miente ita depingit: *pœnam* ( quatenus a censura*

*distinguitor) inferens ecclesia nihil aliud primo & per*

*se spectat, quam criminis commissi punitionem, qui*

*scopus*

scopus est iustitiae vindicis, quæ in commensuranda  
pœna cum delicto occupatur; unde ad iustitiam com-  
mutatiuam eam pertinere omnes æque consentiunt, non  
modo, quia index obligatur ex quodam veluti contractu,  
quem initio cum republica, tum partis leſe satisfacio-  
nem petentis ius ueri, tum republicam ipsam ab illa-  
ris iniuriis vindicare; sed maxime quia seruat equali-  
tatem rei ad rem & pœna ad culpam. Hac distinctio-  
ne præmissa, dñq. 1. qui, 2. GIBALINVS a species pro-  
greditur, & quidem (1) suspensio pœna ipsi est, si ob luspenſio  
delictum, censura vero, si ob contumaciam infligitur, quandoque  
vt prior, vindicativa, posterior, medicinalis dici possit, na, quando-  
quia deprehendit, ſepe in iure canonico suspensiones que censura.  
dictari ad certum tempus, velut ad triennium in pœ-  
nam delicti commissi, vt in c. 33. in f. de teſlib. clem. 2. de  
pœn. clem. 1. veru de heret. c. 1. in f. X. de elect.  
Censura autem ad certum tempus non potest imponi,  
fed tantum medium ſalutare eſſe dicitur, reducendi  
homines ad meliorem frugem. Quocirca suspensione  
quatenus eſt pœna, elapsi tempore ceſſat, non item  
quatenus censura, quæ abſolutione indiget, præuiam-  
que admonitionem deſiderat, non item quatenus in  
pœnam infligitur. Pariter (2) interdicendum ex mente Idem de in-  
GIBALINI, in scholasticorum ſcholis innutriti, ali- terdicto pre-  
quando eſt censura, aliquando pœna, æque ut de dicat  
ſuspensione obſeruatum eſt. De excommunicatione  
nihil addit, cum tamen hæc quoque non tantum ob  
contumaciam, fed etiam ob delictum commiſſum, ci-  
tra omnem admonitionem incurritur, adeo ut quan-  
doque ipſo iure ſeſe exiferat.

§. VII. Pariter WIESTNERVS ad tit. X. de pœnis Wiestneri  
n. 1. seqq. diſtinguit pœnas a censuris; de his ſpeciatim ſententia

B

agens



agens ad iit. X. de sentent. excomm. suspensionis & interdicti, quod in hoc titulo tres illæ species ab INNOCENTIO III. indigitatæ, explicitur, vt vel rubrica indicat. Panam ipse definit delictorum seu criminum coercitionem, inductam ad disciplinæ publicæ emendationem, adeoque vindicatiuam eam nominat, quod species eius ad vindictam delictorum commissorum sint & ordinatæ, iure ecclesiastico approbatæ, atque in tribunalibus sacris receptæ. Species harum poenarum ecclesiasticarum recenset tit. X. de pœn. n. 21. seqq. atque in earum censum refert 1) pœnas pecuniarias in pios vsus conuertendas ex decreto concilii Tridentini sess. XXV. de reform. c. 3. 2) flagellationes per c. 1. de column. olim etiam in capitulis visitatas sub titulo disciplinæ virgarum, vt obseruauit Dn. PRAESES tom. II. iur. eccles. tit. ne sede vac. aliquid innov. §. 8. seqq. 3) Torturam, quamvis hæc non inter genera poenarum referatur, sed potius medium sit eruendi veritatem: 4) exsilium & relegationem: c. 8 in f. D. 45. c. 13. in f. C. 26. qu. 5. 5) detrusiō in arclius monasterium, quæ olim monachis & clericis adulteris, vel alio scelere inquinatis imposita in c. 28. C. 27. q. 1. & repetita in c. 2. X. de adult. c. 10. X. de purgat. canon. c. 10. X. de pœn. quod variis conciliorum decretis illustratum dedit GONZALEZ ad c. 1. X. de regular. n. 10. Fiebat hæc detrusio penitentia peragenda gratia, adeoque hæc ipsa quoque inter pœnas referri debait, quamobrem in concil. Tolet. VIII. c. 6. Clerici sub oneribus penitentia in monasterium relegari & c. 7. monasterii clausis sub penitentia detrudi dicuntur. 6) Incarcerationem quoque huc refert tam perpetuam, c. 15. in f. X. de heret. quam temporalem: c. 3. & 5.

Species poenarum vindicatiuarum eccles. ex mente eius.

de pen. in 6. 7.) ergastula: c. ii. C. 27. qu. i. 8) confisratio-  
nem bonorum c. 10. de heret. c. 25. de V. S. 9) irregula-  
ritatem, quatenus ob delictum contrahitur; 10) infa-  
miam: u) priuationem beneficii & depositionem: 12) &  
tandem degradationem.

§. VIII. Ab his distinguit, pœnas ecclesiæ medi-  
cinales, quibus accenset tum pœnitentiam ad tit. de  
penit. & remiss. qui immediate titulum de pœnis sub-  
sequitur; tum censuras h. e. excommunicationem, su-  
pensionem & interdictum quod 1) haec dicantur medi-  
cinales, ut indigitat INNOCENTIVS IV. in c. i. de sen-  
tent. excomm. in 6. cum medicinalis sit excommunicatio  
non mortalis: disciplinans non eradicans: dum tamen  
is, in quem lata fuerit non contemnat: cum se prouis-  
deat index ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se  
prosequi, quod corrigentis fuerit & medentis. 2) quod  
delinquente correcto, relaxande sint per c. ii. X. de  
confit. c. 25. X. de appell. Vnde censuram definit,  
quod sit pœna spiritualis, qua potestas ecclesiastica exte-  
rior fideles suos delinquentes & contumaces bonorum  
quorundam spiritualium usu priuat ad eorum corre-  
ctionem. Inde quoque 3) addit monitionem vel cen-  
surarum comminationem præcedere debere. c. 26. de  
appellat. His præmissis, ad tit. de sentent. excomm. n.  
27. tantum in tribus adductis speciebus stricuisse  
subsistit, & prorsus ab eis excludit degradationem,  
depositionem, irregularitatem, atque cessationem a diui-  
nis. Eodem prorsus modo philosophatur ENGEL in sententia En-  
collig. iur. canon. tum ad tit. de pen. tum ad tit. de sent. gelii.  
excommunic. & §. i. n. 26. tantum tres supra adductas  
species censuræ agnoscit.

Species me-  
dicinalium  
pœnarum  
iuxta eun-  
dem

B 2

§. IX.

M. A. de Do-  
minis aliter  
distinguit

excommuni-  
cationem  
quandoque  
veram poe-  
nam esse cen-  
sens

vt & absti-  
tutionem.

Consentit  
quoque Espe-  
nus

§. IX. MARCVS ANTONIVS de DOMINIS lib. V.  
c. 9. §. 6. seqq. separat etiam pœnam ecclesiasticam iſtri-  
ctæ dictam a censura, & hanc esse dicit, quæ potesta-  
te clauium a Christo ſuæ ecclefiae tradita exercetur, &  
ſic etiam vinculum coram Deo inducere dicitur. Inde  
vero, quod a communi ſcholasticorum doctrina abit,  
concludit, aliam esse excommunicationem; quæ censu-  
ra; aliam vero, quæ non niſi vera pœna dicenda. Huc  
refert illam ſpeciem maxime vſitamat, quam abſten-  
tionem dicebant, qua epifcopi renunciabant commu-  
nioni cum eo epifcopo continuandæ, qui canones  
implere recuſabat, vt in c. 10. & 12. D. 18. Epifcopi  
ſcilicet in epifcopos alios censuram exercere non pot-  
erant, iurisdictione in coequales deſtituti; quam ta-  
men virtute eius exercendam & in clauium potestate  
poſitam eſſe credebant; poterant tamen ſuam com-  
munionem aliis denegare, quod iam ſeculo II. VICTOR  
epifcopus Romanus erga Afriæ minoris epifcopos  
ausus eſt, teſte EVSEBIO lib. IV. c. 24. imo etiam  
STEPHANVS erga CYPRIANVM & ceteros Africæ fa-  
ſerdores. Id enim maxime curæ cordique fuit epi-  
ſcopis primitiū ecclesiæ, vt iura fraternitatis inter  
ſe conſeruarent, & communicarent, quod variis in-  
dicis oſtendebant. Hoc vinculum ſi rumpebant,  
abſtentio inde naſcebat, quæ quædam excommuni-  
cationis ſpecies erat, quod a communione ecclesiastica  
ceterorum abſtentum repelleret, ſed vt ait MARCVS  
ANTONIVS de DOMINIS cit. I. §. 10. in animam peni-  
tus nihil operebatur, nec ligabat coram Deo, niſi, for-  
fan culpabiles fuerint, quo caſu non propter excom-  
municationem, ſed reatum culpa coram Deo ligati  
dicuntur. Agnoscit etiam hoc diſcriben ESPENIVS de  
iur.

iur. eccles. P. 3. tit. II. c. 3. §. 3. seqq. illamque excommunicationis speciem, quam abstentionem appellaui, a censura in eo distinguit, quod excommunicato & absente episcopoliberae suæ ecclesiæ communio, nec non passiva & actua sacramentorum administratio relicta fuerit, quam adimit illa species, quam censuram vocant, & quidem ob contumaciam, quod audi- re nolit ecclesiam, ad pœnitentiam contumacem per monitionem irinam vocantem ut c. 6. cit. l. §. I. seqq. declarat, & inde forsan a patribus medicinalis dicta est.

§. X. Sed audiendus etiam præ ceteris. 10. de Sententia Io. DICASTILLO, societatis Iesu Theologus, qui in opero-  
fiori tractatu de censuris & pœnis ecclesiasticis egit, &  
plura clarius exposuit præ reliquis. Videlicet disp.  
I. dub. 1. n. 6. seqq. supponit, in ecclesia dari potesta-  
tem infigendi censuras & puniendi suos subditos pœ-  
nis etiam spiritualibus, non solum in foro conscientiae  
interiori, sed etiam in foro exteriori; id quod probat  
ex iure ligandi & soluendi, traditione antiquissima,  
pontificum decretis, & hac imprimis ratione: quia  
omnis respublica bene instituta indiget potestate iuri-  
dictionis, tam directiuia condendi leges, quam coactiuia  
puniendi rebellcs, & priuandi illos bonis propriis ipsius  
reipublicæ, unde omnis respublica habet vitramque po-  
testatem, ut per se lumine ipso naturali manifestum est;  
ergo etiam ecclesia, quæ est respublica perfectissima, ha-  
bet hanc potestatem. Constituit tamen differentiam  
hanc inter vitramque rem publicam, quod ciuilis fi-  
nen habeat temporalem; ecclesiastica vero spiritualia  
& supernaturalem, nempe claram Dei visionem &  
gloriam æternam, & cum media fini proportionata

esse

de Dicastro

fundamen-  
tum pœna-  
rum ex men-  
te eius.

B 3



Et natura.

esse debeant, inde concludit, arma quoque, quibus se defendit, præmia & supplicia spiritualia esse deberet. Hoc tamen, subiungit n. 12. sic intelligendum est, ut quamvis ecclesia directe versetur circa spiritualia, simul etiam indirecte possit versari circa temporalia; neque enim esset fatis ecclesie prouisum, si careret potestate puniendi pena temporali; ac proinde si aliquis princeps defecerit a fide, summus Pontifex illum priuare regno & alium substituere potest. Potest etiam abrogare leges principum secularium, si aduersentur fini spirituali (hierarchiæ & dominati sacro) & rectioni. (quatenus a clero informata & instruta est) Ita vero ecclesiastice poenæ sunt proprie dicta remedia coactiva, eundem cum poenis quibuscumque scopum habent, & reipublicæ ecclesiastice conservationem & salutem intendunt, quæ in dominatu sacro vel hierarchia consistit.

Censuræ definitio ex mente eius

ob contumaciam infligenda tantum

§ XI. CENSVRAM cit. l. dub. II. n. 13. definit, quod sit pena ecclesiastica spiritualis & medicinalis ab ecclesiastica potestate imposta, sic ut ab eadem semper tolli & absoluiri possit. In hoc differre ait eam a ceteris poenis ecclesiasticis, quæ perpetuae sunt, & absque spe remissionis imponuntur. Fundamentum unicum censoriarum collocat in contumacia per c. ii. X. de rescript. vnde colligit, proprium terminum censuræ tantum esse debere, quantum contumacia durauerit; resipiscentes autem statim admittendos esse ad communionem. Addit n. 15. eam esse tantum panam medicinalem & in eum duntasat finem dirigi, ut homo priuatus spiritualibus bonis, & eiusdem extra ecclesiam experiusque Demonis tyrannidem, qui extra ecclesiam liberius servit, redeat ad se, cognoscens propriam infirmitatem & misere-

miseriam, ac resipiscens pareat; pro peccatis autem praeteritis alias penas proprie dictas infligi, etiam postquam respuerit delinquens. Hisce præsuppositis n.  
38. tres errores putatiuos refellit, aitque turpiter er- tres ab eo er-  
rassè glossam in c. quodcumque C. 24. q. 1. afferentem, tores putati-  
excommunicationem nihil operari apud ecclesiam triam- vi notati.  
phaniem sed tantum apud militantem: impie dixi-  
se ERASMVM in colloquio de fide, quod excommunica-  
rio territet pueros, non vero viros fortes: impiissime  
dixisse LUTHERVM, excommunicationem tantum esse pa-  
nam externam, tantumque priuare externo coniuctu  
& plus esse optandam quam timendam. Circa species species cen-  
surarum dubit. III. sollicitus est, & rejectis alio- surarum  
rum sententiis, in tribus supra relatis speciebus sub-  
sistit, & quidem vel ideo, quod hæ propter contu-  
maciam infligantur, vt contumax ad seriam men-  
tem redeat. Pro excommunicatione, interdicto vel  
suspensione innodus absoluendus statim est, aitque vult  
parere non obstante, quod pars lesa reclamat & appelle-  
tur; dummodo censura ligatus det cautionem, quod iu-  
dicis competentis sententia stabit, vt philosophatur cit.  
l. n. 70. idque probat exc. 25. X. de appellat.

§. XII. Cum censura sit imperit sacri actus, & quis ex eius  
pena seu medium coactuum, is demum ius ferendi mente censu-  
ras habet, qui iurisdictione ordinaria in exte- ras infligat.

I. dub. 6. Supponendum enim est, & pro articulo  
fidei in Romana ecclesia habendum, ecclesiam esse  
perfectissimam rempublicam, & sic omnia in ea ad sche-  
mata politica componenda & adornanda, operaque  
danda, ne illa iactoram patiatur, quod metuendum  
esset, si deesset medium rebelles subditos, reges et-  
iam

iam & principes, per poenas ad officium reducendi. Id indicat his verbis n. 114. quia potestas spiritualis fori exterioris ordinatur ad punienda delicta & coercendos subditos rebellis; sed hoc sit per censuras: ergo tali potestati annexa debet esse potestas ferendi censuras. Atque hanc potestatem exercent iudices ecclesiastici, etiam si non sint sacerdotes, nec ullo ordine insigniti, sed tantum prima tonsura signiti, dummodo sint confirmati vel prouisi praedictis officiis, vt ait n. 118. Ita prisco more non amplius ius clavium deditur ex ordinatione & sacerdotio, quod rei ecclesiastice hodiernae non amplius commodum videbatur, exceptis presbyteris, quibus iuxta hypothesis antiquam ius clavium per ordinationem tribuatur. Ratio status non semper admittit, vt praefati & episcopi statim ordines accipient, quibus tamen expedit, vt statim imperium sacrum exercere possint. Quæ cum ita sint, quid prohiberet, quo minus etiam feminæ iurisdictionem ecclesiasticam exercere, & censuras infligere possent, quamvis ad ordines recipiendos inhabiles sint, id quod etiam certo modo n. 126. admittit. E contrario laicus ad censuras inferendas plane incapax est, vt nequidem ex delegatione episcopi hac potestate frui queat, solo Papa excepto, qui hoc modo delegare potest. Fertur tantum censura in subditos. Nemo enim se ipsum vel sibi æqualem censura innodare potest. Rationem hanc suggerit dub. VII. n. 140. potestas coadiua, qualis est potestas ferendi censuras, non operatur nisi in subditum; nemo autem est sibi ipse subditus proprie loquendo, nec æqualis est subditus alteri æquali, multoque minus inferiori. Sed obstat, quod etiam confessionarius possit absoluere



uere episcopum multo sibi superiorem. Responder  
DICASTILLO n. 150. seqq. varie ad hoc dubium, quæ non  
regulabo.

§. XIII. Tædium me capit, aliorum referre  
sententias adeo inter se discrepantes, & tot scopolis  
inuolutos, vt in his tricis enodandis atque soluendis  
frustra tempus impendatur. Doctrina hæc, quatenus

Nata hæc de-  
ctrina & diu-  
sio in cerebro  
scholastico-  
rum,

tam sollicite genera penarum & censuarum distinguit,  
profus noua, & in scholasticorum cerebro, non an-  
tiquitatum ecclesiasticarum peritia, sed fecibus corrupta-  
rum doctrinarum imbuто, nata, atque producta fuit,  
vt non difficitur MORINVS de administrat. sacram. pæ-

ex confessio-  
ne Morini

nit. lib. VI. c. 25. §. 12. Inter alia vero eleganter osten-  
dit, nouam hanc scholasticorum doctrinam a mente  
& vsu veteris ecclesiæ alienam esse. Cordatus quisque,  
at, in auctorum ecclesiasticorum, qui undecim seculorum  
spatio scripserunt, lectione tantillum versatus, mihi facile  
concedet, artem illam stricte præciseque & secundum for-  
matitates logicas, de censuris ecclesiasticis loquendi & phi-  
losophandi, ante illud tempus ab ecclesiasticis auctoribus  
non fuisse usurpatum. Ut enim præteream Burchardum  
Wormaciensem episcopum & Iuonem Carnutensem, canonista-  
rum suo tempore corrypheos, in quorum collectionibus mi-  
hil eiusmodi deprehenditur; Hugonem Victorinum his posse-  
riorum tot scriptis celebrem, in quibus tamen nihil eiusmo-  
di agitat: Lombardus & Gratianus ἀρχόταται νεφαλοί,  
ille theologorum, hic canonistarum, qui annis post Iuonem  
quinquaginta & secundo XII. in decimum tertium inclinante,  
per orbem Christianum celeberrimi fuerunt, nihil tamen  
scripserunt, ex quo conici possit, hunc de censuris præcisum  
& artificialeм loquendi modum illis fuisse cognitum, imo de  
Gratiano facile demonstrari posset, illi fuisse profus inco-  
gnitum, aut hunc velut paucis sic philosophantibus plane

C

præ-

præteritum. Vnde enim apud eos colligerur, esse tantum tres censuras? depositionem & degradationem eo nomine non esse censendas: interdictum censuram esse, non autem cessationem a diuinis: irregularitatem impedimentum esse canonicum non censuram: censuras ad forum externum pertinere, non ad internum sive sacramentum paenitentiae: imo vbi apud eos ipsum censure nomen sic acceptum & a ceteris paenis & impedimentis ecclesiasticis distinctum? Ipsi generis questiones plures fieri possunt, de quibus apud istos autores nulla memoria, licet de clauibus ecclesiae, e quibus originem ducunt, multus sit & frequens sermo.

## &amp; Espenii

§. XIV. Pari integritate & ingenuitate ducitur ESPENIVS cit. l. 2. §. 8. atque fatetur, definitionem censuræ communem vulgatamque apud antiquos non reperiri, nec veterum de censuris phrasis & disciplinæ aptatas, sed potius accommodatam iis, que post glossas & decretalium interpretes, scholastici passim de censuris tradiderunt. Præterea idem §. 13. obseruat, suspensionem (quam inter censuras ex iure clauium scholastici numerant) antiquitus non aequæ ac hodie censuris, a potestate clauiumque dependentibus, fuisse annumeratam, cum tamen censurarum fundamentum primarium in iure clauium hodie constituant. Antiquæ doctrinæ, ab hodierna alienæ, elegens exemplum est in c. 12. X. de maior. & obed. vbi abbatissa resert, se canonicos suos & clericos sive iurisdictioni subiectos, propter inobedientias & culpas eorum, ab officio & beneficio suspendere, qui tamen confisi ex eo, quod eadem abbatissa eos excommunicare non poterat, suspensionem huiusmodi non obseruabant. Iurisdictionem habebat abbatissa: vi illius suspendebat ab officio & beneficio clericos; eos tamen excommunicare non poterat, quod hæc potestas ex iure clauium, quod per

quod illustratur ex c. 12.  
de maior. &  
obed.

per ordinationem demum olim conferebatur, dependeret, a qua ordinatione remotæ erant mulieres. Hodie prorsus inuersa disciplina est. Suspensio censuris, ex iure clauium tractis, annumeratur; hoc vero ius per ordinationem episcopo demum confertur ut olim: ante eam etiam illud exercet. Quis enim ignorat, episcopos hodie etiam ante consecrationem ea peragere, quæ sunt jurisdictionis episcopalis, & omnes censuras infligere? cum ab hac vnicē hodie trahi soleant. Aliud an-

& ex c. 3. de  
offic. iudic.  
ord.

tiquæ disciplinæ documentum occurrit in c. 3. X. de offic. iudic. ordin. vnde liquet, plebanos in clericos & laicos tempore Alexandri III. interdictū vel excommunicationis sententiam quandoque ferre potuisse, quod iure clauium, ordinationi cohærente, gaudent, quod in hac potestate olim sufficiebat. Anxii sunt interpretes circa interpretationem huius decreti, idque agere solent ut plurimum, vt salua theſi sua de censuris, a quibus parochos arcent, decisionem hanc admittere possint, quem in finem varia fingunt, supponunt, & comminiscuntur, quæ tamen omni fundamento carent.

§. XV. Retuli atque enarraui bona fide doctrinam interpretum communem, non tamen satis sibi constantem, de poenitentiis ecclesiasticis & censuris, de quarum iusticie sint inde vera & genuina me acturum esse constitui. Cardo propriæ dictæ ergo controversiæ huc redit potissimum: utrum haec penitentia, ut a singularibus censuræ sint propriæ dictæ penitentiae, a temporalibus distinctione, ut diuersum finem habeant, & an vera qualitas spiritualitatis illis assignari queat? Deinde: an & quantum ius hoc modo puniendi ecclesiæ attribui queat? Harum questionum examen vel ideo necessarium est, ut inde liqueat, quatenus & a quibus hoc ius in ecclesiis Protestantium, in quorum gratiam hæc scribo,

C 2

ex-

Capita pri-  
maria dicen-  
dorum.

exerceri queat? Id quod ut obtineri possit, ostendendum erit, (1) nullam olim differentiam inter *censuram* & *pœnam*, nec definitiones traditas olim cognitas fuisse: (2) ecclesiam priscam propriæ dictum *iis puniendi*, quod reipublicæ proprium est, non affectasse; interim pro statu suo peculiari, in quem coniecta erat, per tria priora secula, simile quid, quod *pœnae* imaginem haberet, inter le mutua conuentione introducere potuisse: (3) constitisse hanc pœnam conuentionalem tum in *excommunicatione* laicorum, tum *depositione* clericorum, non item *pœnitentia*: (4) degenerasse, tribus elapsis seculis, ecclesiisque in rem publicam specialem mutata, hos puniendi modos in pœnas proprie ditas, eisque additam *pœnitentiam*, (5) mox qualitatem *spiritualitatis* cuiusdam iis superadditam ex novo de *iure clauium* principio: (6) pedentim nouos puniendi modos, etiam cum republica seculari communes, receptos, & publice agnitus fuisse, pœnas has virtute *iurisdictionis* & *imperii* exerceri, quo reipublicæ ecclesiastice vigor in omnes reges principesque eo magis stabiliretur: (7) has pœnas *forensi more* in *inuitos* & *re ludantes* regulariter exerceri, & sic mera media coactiva esse: (8) abstinuisse iudicia ecclesiastica tantum a *penis sanguinis* de cetero rationes ceterarum rerum publicarum, quas seculares vocant, in suos traxisse usus. Ex his principiis (9) quedam consecutaria eruentia sunt, in foris Protestantium usum habitura..

præmittitur  
pœna huma-  
na conceptus

§. XVI. Antequam vero in explicationem ha-  
rum observationum me immittam, paucis rationem  
pœne propriæ dictæ, prout est medium continendi ho-  
mines in officio in *statu ciuili*, præmittam, vt tamen

a pœ-



a penis diuinis, theologicē pertractandis, abstinecam,  
 quarum ratio alterius disciplinæ & fori est. Nam  
 vbi de pœnis ecclesiasticis siue secularibus sermo est, ius  
 puniendi intuemur, quatenus ab hominibus in certa  
 societate exerceri potest, quod cum iure Dei ipsius con-  
 ferri non potest in omnibus. Vnde nec pena natu-  
 rales huc pertinent, quas CICERO de LL. l. i. distinguit  
 a penis iudicibus: aliquo contaminati probro, penas  
 luunt, non tantum iudiciis, quæ quondam nusquam erant,  
 hodie multifariam nulla sunt, & ut sint, tamen persæpe fal-  
 sa sunt; sed etiam agitatione furiarum, quæ insectantur eos,  
 non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angere conscientię  
 fraudisque cruciatu. In eo sensu vero, quem præno-  
 taui, communiter definitur POENA, quod sit malum & definitio  
 passionis vel positio mali, quod virtute imperii ab imperante  
 in societate inæquali subditis intuitiis infligiur ob malum actio-  
 nis in salutem & tranquillitatem totius universitatis, cui  
 præst imperans. Dn. BVDDEVS in theol. moral. P. 2. c. 4. §. 5.  
 Dn. THOMAS. in iurispr. div. lib. 3. c. 7. §. 28. In omni  
 pena ergo (I) proponitur malum seu dolor, quem ho-  
 mines fugere solent, & non nisi ægre patiuntur, vt  
 huius intuitu et metu mali desistant a re maxime cu-  
 pida. Feruntur homines in omne malum morale;  
 quia tamen eorum natura abhorret ab his, quæ ei ma-  
 xime aduersantur, quorū pertinet mors, crucia-  
 tus corporis, existimationis, bonorum, ciuitatis, li-  
 bertatisque priuatio, cetera: horror hic malos inducit,  
 cogitque, vt a malis moralibus, quæ vincula inter  
 homines tollunt rumpuntque, eo facilius abstineant.  
 Parum autem refert, vtrum hoc malum confusat  
 in priuatione boni, an in inflictione positui mali, quia

C 3

in qua i) præ-  
supponiur  
malum

vtrum-

2) delictum, vtrumque terret cogitque malos. (II) In pœnis defideratur *malum actionis* seu *delictum*: quæ alicui evenient incommoda & mala citra antegressum delictum, *pœnae* rationem non habent, adeoque contingere potest, vt quis ex delicto alterius, eique inficta pœna, incommodo quodam simul adficiatur, quod tamen, licet dolorem pariat, molestumque sit, *pœnae* rationem proprie non habet, vt ostendit Dn. PRAES. *diss. de pœna sine crimine*. (III) Ius puniendi vi *imperii* exercet tantum *imperans*, qui ius *imperii* & *coactionis* habet, & in hunc finem ad principatum & imperium admotus est, vt inordinatos, rebelles, & tumidos in officio contineat, & legum executioni studeat. Doctoribus, qua talibus, ius puniendi datum non est, sed tantum *corripiendi* admonendique, quorsum *elenchus pastorum* pertinet. Nec probabile est, Christum ius *puniendi* doctoribus ecclesiæ dedisse, cum omne imperium iis abiudicauerit, nec statum politicum ordinauerit. Prout autem ratio *imperii* lœse habet, ita *pœnae* ratio quoque æstimanda, nec dubium, quin in *societate domesticâ* pater vel dominus suo modo liberos vel seruos castigare possit, in quantum limites imperii, ipsis concessi, id patiuntur.

4) exercetur  
in societate  
inæquali

non in colle-  
gio

§. XVII. Exercetur ius puniendi (IV) in *societate inæquali*, vtpote quæ tantum imperio armata est, vt *civilis* & *domestica*. Gentium societas æqualis est, & nemini in alterum competit imperium, adeoque ius puniendi genti in gentem attribui cum *GR. O. TIO* nequit. Dn. *BVDDEV. cit. l. §. 7.* Pari ratione nulli collegio, *qua tali*, ius puniendi at-tribu-

tribendum, quippe quod *societatem aequalem* constituit, *imperio* carens *coactivo*, vnde tamen *ius puniendo* fluit. Recte plurimum reverendus Dn. PFAFFIVS de origine iuris eccles. p. 205. collegium *proprie loquendo* nullam habet *jurisdictionem*, quia *superioritate omni*, & *vi coactiva*, que *civilis est*, prorsus *caret*. Quamuis enim hoc omni collegio datum censeri debeat, vt *focum legibus collegii recalcitrantem omniaque in societate perturbantem*, a se abigere, eiicere, & *communi consensu* eum excludere queat; id tamen non tam fluit ex *quodam imperio*, quam ex *natura paclii*, quo *receptus est* in collegium. Hac lege quilibet in *societatem recipitur*, vt nisi se ad eius rationes peculiares composuerit, & *promissa impleuerit*, tandem vt *inidoneum* huius *societatis membrum excludi possit*. Vnde conficitur, vt etiam collegium, quod alias si ne *imperio est*, mutua *conuentione* sese adstringere possit ad quandam *pœnam*, quo eo rectius finem sibi propositum & salutem *societatis seu collegii* obtineat, quam *pœnam*, dum reus subit, *conuentione* implet, ad quod iure naturæ obstrictus est. Similiter dum collegium hanc *pœnam* ab eo exigit, id non iure *imperii*, sed *vi paclii*, initi facit, & sic iure suo agit, qualis *pœna conventionalis* etiam inter priuatos recepta est, a natura tamen *pœnae proprie dictæ magnopere ab ludit*. Interim haec *pœnae paclitiæ*, cum in abusum trahi & *dominatum* in collegio generare possint, subsunt *inspectioni & directioni* imperantis in statu ciuili, cui ipsum collegium subest, cum eius intersit, ne nouis in republica dominatus emergat, & inde detrimentum respublika capiat.

nisi ex pacto  
tam expresso  
quam tacito.

## §. XVIII.



§) infligitur  
subditis,

6) inuitis,

7) in salutem  
societatis to-  
tius

§. XVIII. Exercetur poena (V) in eos, qui punientis imperio subsunt, in quo differt a *vindicta*, quam etiam par in parem exercet, quæque vnicet alterius malum propriamque satisfactionem & securitatem intendit, in statu *civili* vero prohibita, in *naturali* tantum permissa. Vnde in quos ius punimenti quis exercet, hos non potest non sibi subiectos asserere, quod facit curia Romana, cum suo Praefule ius puniendi in imperatores, reges, & principes, mira rerum metamorphosi, sibi arrogans, quo ipso grauissimum maiestati eorum & independentia infligitur vulnus. Porro exercetur (VI) in *inuitis*, quia remedium *coactuum* est, quod *inuitum* præsupponit. Etsi vero hoc non sit accipendum eo sensu, vt delinquens *resistere* debeat executioni pœnarum, quin potius certum sit, quemlibet obligari ad pœnam patiendam, quam iudex ipsi imponit; palam tamen est, *animo* prorsus *spontaneo* eam non fuscipi, multo minus delinquentem obligari, vt sponte se pœnae offerat, adeo vt dici soleat etiam in eccllesia corrupta: *de occultis non iudicat ecclësia*. Qui pœnas *spontaneas* singunt, vt plurimum credulam plebem præsupponunt, cui sub *necessitate salutis æternæ* vel *meriti singularis* *acquirendi* hæc necessitas imposta, vt sponte se doloribus & cruciatibus adficiant & flagellis se subiiciunt, qua circumstantia præsupposita, magis *inuiti*, quam *volentes* esse videntur, adeoque cauendum est, ne *externo colore* decipiamur, sed rem ex *veritate* estimemus.

§. XIX. Denique (VII) exercetur *pœna in salutem societatis totius*, vt huic bene sit, & quilibet in officio contineatur, atque id ipsum est, quod asserit

serit I<sup>CT</sup>us in l. i. d. iustit. & iur. quod per pœnarum & præmiorum propositionem bonos facere intendat legislator h. e. ciues bonos, qui pacifice & secundum leges in republica degant. Videhicit per pœnarum executionem primario intenditur utilitas, & commodum torius societatis ciuilis, vt exemplo eius, qui punitur, ceteri absterreantur a re maxima cupida, tum etiam vt ab eius impetu noxio omnes sint securi, & is quoque, qui læsus est, quem in finem aliquando e medio tollendus, velita constringendus delinquens, ne imposterum nocere, pacem publicam turbare, aut iussibus magistratus resistere possit. Præterea cum salus reipublicæ in imperio & subiectione contineatur, pœnae potissimum etiam huc tendunt, ne subditi effrenes vinculum subjectionis perrumpere audeant, ad quod satis proni sunt. Vno verbo: pœnis continentur subditi in subiectione conuenienti, deterrentur a delictis, & securi atque immunes ab omni violatione & noxa præstantur.

*Emendatio  
non primario  
in emenda-  
tionem de-  
linquentis.*

ipsius delinquentis, per pœnas nec obtineri potest, nec ad quasvis pœnas, veluti capitales, quadrat. Coactio neminem emendat intrinsece, sed tantum operatur, ne mali affectus, qui intra peccatum dominantur, facile erumpant, sed potius refrenentur, quo tandem fit, vt homines externe dicantur emendari. Talis vero emendatio admodum fragilis est, & tantum, donec periculum subiectæ pœna imminet, durat. Hoc si deesse videtur, facile erumpunt prævi affectus in aliorum iniuriam. Satis neruose Davus apud HORATIVM lib. II. sat. 7. v. 71.

*Non sum mæchus, aīs, neque ego hercule fur, vbi  
vasa*

D

Præ-



*Prætero sapiens argentea: tolle periculum,  
Iam vaga proficit frānis natura remotis.*

Quos duntaxat metus pœnarum retinet in officio, id quod intendit legislator, boni quidem *externe* reduntur, quatenus a delictis abstinere coguntur, *interna* tamen mali permanent, nisi diuinioribus remediis emendati fuerint.

Species pœ-  
næ apud Ro-  
manos fuit  
censura

a censoribus  
moribus re-  
gendi præfe-  
tis inficta

ob vitia & in-  
decoras acti-  
ones.

§. XX. In hoc distinguunt *censuram morum a pœniis*. Censores apud Romanos erant *magistratus maiores*, primum quidem ad *censum peragendum* constituti, paulatim etiam id negotii iis datum, ut de *status & moribus ciuium censerent & mores populi regerent*; vt ait CICERO III. de LL. c. 3. ea forsitan occasione, quod constituere deberent, quinam in censum seu *libros censuales* referri deberent, quod seruis, peregrinis, mulieribus, aliisque denegatum, adeoque de *status* simul censebant, qui multum a *moribus* dependet. *Regendis moribus ciuitatis*, ait ASCONIUS PE-DIANVS in Cicerone pag. 20. Censores quinto quoque anno creari solebant. Hi prorsus ciues sic notabant, ut qui senator esset, eiiceretur senatu; qui eques Romanus, equum publicum perderet; qui plebeius in *centrum tabulas* referretur & ærarius fieret, ac per hoc non esset in albo *centurie suæ*, sed ad hoc esset ciuis tantum, ut pro capite suo tributi nomine æra pendere. Pertinebant ad iudicium de moribus *vitia hominum non crimina*, pœniis publicis coercita h.e. illa, quæ non erant contra leges, seu non iniusta, sed non honesta. Non enim omne quod licet, seu quod leges non prohibent, honestum est, cum impossibile sit, ut leges circa *mores hominum quoscunque & decorum fieri possint*. Quæ vita honestatem violent, non semper

semper pacem publicam turbant, id quod per *delicta & crimina publica* demum fit. Qui honestatem vi-tæ v. c. temperantiam, respuebat, negligebatque, *indecor* viuebat, sed non iniuste, adeoque legum coercitione non subiacebat, quamvis censores mores eius indecoros notabant, vt plenius declarat Dn. THOMASIVS *de iudicio & censura morum c. 1. & 2.* Cui illa quoque ratio accedebat, quod olim Romani stricte legibus suis infisterent, quæ tamen ab initio pauciores erant. De quibus nihil cautum erat legibus, permissa censebantur, quod non essent prohibita. Plura postea legibus prohibita sunt, quæ ab initio *iudicio censorio* tantum subiecta fuere, prout rationes reipublicæ id postulare videbantur, vt quæ circa poenas *cælibatus* legibus Iuliis constituta fuere.

§. XXI. Sicuti vero hoc institutum Romanæ reipublicæ proprium fiat, ita obseruo, 1) censores, qui regendis moribus ciuium prærant, fuisse *magistratus maiores*, adeoque *iurisdictione & imperio* præditos. 2) Iudicium tamen de moribus, quod ferebant, non eodem modo, vti cognitio de causis criminalibus, fuisse peractum, sed citra processum *ordinarium*, summaria præcedente informatione, qua de causa notæ censure non habebant vim effectumque *rei iudicati*, vt CICERO *pro Cluentio c. 42. seq.* differte docet apud Dn. THOMASIVM *cit. l.c. 21.* Proinde notæ censoriae poterant a magistratibus negligi, a populo rescindi, & a iuratis iudicibus repudiari, vt CICERO ait. Quin etiam nec 3) nota censoria *infamiam iuris* inferebat, sed tantum *infamiam facti* seu *ignominiam*, qua tamen facile abstergi seu dilui poterat, vel mutatis moribus, vel spreta a populo nota

D 2 censo-

Censores ex-  
ercuerunt iu-  
risdictionem

sine processu

infamia facti  
notabant tur-  
piter viuen-  
tes

& sic punie-  
bant

censoria. Interim 4) nota censoria erat species quædam *pæna seu coactio*, cum etiam ad remotionem ab officio & gradu dignitatis se se extenderet. Id obseruat BODINVS de republica lib. VI. c. 1. aiens: *Ego censorum notam, ignominiam, reprehensionem omnibus omnium magistratum iudicis ac senientiis acerbiorum fuisse puto.* Cum enim lusfrum agerent, ciuibus in Campum Martium coactis, aderant interdum quingenti, aut quod minimum trecenti senatores, ordo equestris duplo maior, plebs ipsa, quantum quidem loci amplitudo capere poterat; omnes trepidi & anxii, quæ quisque ignominia notaretur. Conf. Dn. THOMAS. cit. l. §. 22. Ita vero 5) nota censoria æque castigabat vitiæ hominum prava, ac quidem sententia iudicialis *delicta*, & vtriusque idem erat finis, scilicet ut me tu censoræ & pænae ciues absterrerentur a vitiis & delictis, & ita salus reipublicæ & tranquillitas salua & incolumis esset. Tam in *censura* quam *pæna* inten-debatur *coactio*, quæ tamen vitiæ non corrigit *interne*, sed tantum efficit, ut homines *externe* honeste viuant *metu censure*. Quamuis ne hoc quidem *censura* sua obtinuisse Romanos, obseruet Dn. THOMAS. cit. l. §. 3. §. 11. doceatque, in republica Romana per censuram nihil minus quam vitiæ fuisse eradicata.

§. XXII. Hisce præsuppositis ad eorum ex-plicationem probationemque devienio, quæ §. XI. a me allata sunt. Primus articulus est, veteres iuriis ecclesiastici scriptores nullum fecisse discrimen inter *censuram & pænas ecclesiasticas*, sed his appellationibus promiscue vsos fuisse, nec vilam habuisse rationem, eas distinguendi, prout iam obseruauit

MORI-

Progressus ad  
poenas eccl-  
esiasticas,

quas primæui  
Christiani a  
censuris non  
diffinixerunt

MORINVS supra laudatus. Id quod si verum est, certum quoque atque conclamatum est, in modis castigandi, seu disciplina ecclesiastica vnum eundemque finem scopumque habuisse ecclesias, non alium in his, alium in aliis castigandi modis, prout consti-  
tuerunt canonistæ, distinguentes inter censuram pæ-  
nusque. Omnis disciplina & castigatio in priuatio-  
ne vel communionis ecclesiasticae, vel officii sacri con-  
sistebat, quod agnoscit CYPRIANVS epist. 3. Rogatiano  
scribens, vt diaconum contumacem vel deponat vel  
absineat. Vltra in puniendo nec progrediebantur  
Christiani, nec progredi poterant. Vtraque disci-  
plina species, vel pena vel censura vocabatur & qui-  
dem posterior appellatio, vel ideo placuisse videtur  
primævis in Romano imperio Christianis, quod cen-  
sura apud Romanos etiam in priuatione iuris vel  
dignitatis consisteret, vt modo obseruatum est. Ita  
TERTULLIANVS excommunicationem vocat censuram docente Ter-  
diuinam in apolog. c. 39. In tract. de pudicit. c. 16. p. tulliano  
m. 568. lit. b. condemnationem libidinum poenalem  
hoc modo depingit: ut intelligas quanta securi cen-  
sura omnem syluam libidinum cœdat & eradicet.

vt tamen  
censuræ ap-  
pellatione  
ſæpe vteren-  
tut

§ XXIII. Evidentius hanc thesin demonstrat  
CYPRIANVS, qui epist. 59. edit. Bremens. ad Cornelium, & Cypriano  
de FELICISSIMO ob criminia plurima condemnato scri-  
bens ita infit: legi literas tuas ecclesiastice disciplinæ  
& SACERDOTALIS CENSURAÆ ſati plenas,  
quia CORNELIVS eundem condemnauerat atque eie-  
cerat. Hinc in sequentibus addit: non effe relinquendam  
ecclesiasticam disciplinam aut SACERDOTA-  
LEM CENSVRAM. IDEM epist. II. poenas diui-  
nas, quas peccatoribus minatur Deus, vocat diui-  
nam

D 3

quæ in ex-  
communica-  
tione & de-  
positione  
quaesita fuit

nam censuram. Porro epist. 55. p. 110. censuræ obstina-  
tionem de iis prædicat, qui poenitentibus pacem in  
perpetuum denegabant. *Depositionis & excommuni-  
cationis* poenæ, primis tantum seculis vñstatas, sub  
appellatione *pœnæ coniungit* IDEM epist. 52. p. 97. scri-  
bens: *Hanc conscientiam criminum iam pridem timebat,*  
*propter hoc se non de presbyterio excitari tanum, sed*  
*& communicationi prohiberi pro certo tenebat, & ur-*  
*gentibus fratribus imminebat cognitionis dies, quo apud*  
*nos causa eius ageretur, nisi persecutio ante venisset.* *Quam*  
*iste voto quodam euadenda & lucranda damnationis ex-*  
*cipiens, hac omnia commisi & misericordia, ut QVI EIICL*  
*de ECCLESIA EXCLVDI debebat, iudicium sacer-*  
*dotum voluntaria discessione precederet; quasi euasisse sit*  
*POENAM, præuenisse sententiam.* Hoc quoque  
confirmat epist. 43. pag. 82. his verbis: *Et quidem de*  
*Dei prouidentia, nobis hoc nec volentibus, imo & igno-*  
*cientibus & tacentibus, POENAS, quas meruerant,*  
*rependerunt, vi a nobis non eieci, utro se eiicerent,*  
*ipso in se pro conscientia sua sententiam darent, secundum*  
*vestra diuina suffragia, coniurati & scelerati de ecclesia*  
*sponte se pellerent.* De electorum poenis IDEM epist.  
59. p. 131. sic edisserit: *si autem quis ulro & crimine*  
*suo perierit, & poenitentiam agere atque ad ecclesiam*  
*redire noluerit, nos in die iudicii inculpatos futuros, qui*  
*consulimus sanitatis illos solos, in POENIS (in statu ex-*  
*communicationis) remansuros, qui noluerint consilii no-*  
*stris salubritate sanari.* Ceterum quamvis ab initio pa-  
nitentia non pœna aut censura proprie dicta, sed me-  
dium, pacem in ecclesia recuperandi, & restitutio-  
nen in integrum impetrandi, esset, pedetentim ta-  
men,

pedetentim  
etiam in po-  
nitentia

men, postquam certa tempora variique labores pœnitentiales determinati sunt, in censuram & paenam degenerauit, vnde etiam passim a CYPRIANO nomine censuræ venit. In epist. 55. p. 10. se purgat a suspicione, quod animum suum a disciplina & censura priori deflexisse videatur, ut his, qui libellis conscientiam suam maculauerint, vel nefanda sacrificia commiserint, laxandam pacem putauerit. In sequentibus adfert temperamentum, quocum lapsis agendum, quibus nec in totum spes communicationis & pacis deneganda, nec tamen rursus CENSURA EVANGELICA soluenda, vt ad communicationem temere profilirent, sed traheretur diu pœnitentia. Tandem P. III. ibid. id demonstrat exemplo ipsius Dei: *In Psalmis enim legimus, CENSVRAM pariter & clementiam Dei, comminantis simul atque parcentis, PVNIEN- TIS ut, corrigat, & cum correxerit, reseruantis.*

§. XXIV. Quamuis vero & haec tenus dictis laici magis liqueat, clericos olim & ab officio remotos, & quandoque simul electos; laicos vero tantum electos seu excommunicatos, & redeuntes censuræ pœnitentiali subiectos fuisse; obseruavit tamen MORINVS de administrat. paenit. lib. IV. c. 3. pedentim eo deuentum fuisse, vt propter quæ peccata laici eiiciebantur, & pœnitentiæ subdebantur, propter eadem clerici deponerentur. Id illustrat ex BASILIO aiente: *Epi-scopus vel presbyter vel diaconus fornicationis vel per- iurii vel furti coniuctus deponatur, & non segregatur; dicit enim scriptura, non vindicabis his in id ipsum, similiter reliqui quoque clerici.* Rationem inter alia quoque hanc addit, quod laici electi rursus in

laici magis  
excommuni-  
cati, clerici  
vero depositi

& pedeten-  
tim suspensi

laici quando-  
que non eie-  
cti, sed inter  
pœnitentes  
collocati

Vnde obti-  
nuit  
1) excommu-  
nicatio  
2) depositio,

in eum, ex quo exciderant locum, recipientur, non autem clerici depositi restituantur. *Tanquam ergo, ait, ei non reddendo diaconatu in ea sola punitione sterunt.* Accessit post trium seculorum priorum lapsum depositioni clericorum suspensio ab officio, quæ *αφορισμός segregatio quoque dicta est*, quatenus depositioni opponitur, quod indicant canones apostolorum hoc tempore collecti. Etenim c. 5. de clericis caueatur: *Si eiecerit praetextu religionis uxorem, SEGREGETVR, & si perseveret, DEPONATVR;* quemadmodum etiam in c. 57. & 58. hæc duo opponuntur v. HARDVINVS tom. I. concil. p. u. & 23. Ulterius postquam pœnitentia quoque instar pœne esse coepit, inde factum, ut quandoque laici ob minora delicta ab excommunicatione quidem immunes rediti, inter pœnitentes tamen, qui iam gradum primum secundumque sustinuerant, constituti fuerint, qui etiam adhuc segregati erant a fidelibus, prout accipienda esse existimo, quæ MORINVVS cit. l. adfert, & post eum SVICERVVS in thes. eccles. voce *αφορισμός*.

§. XXV. Quia de causa antiquæ censuræ vel poenæ hic reduci possunt. PRIMA eius species erat excommunicationis, seu priuatio communionis totalis: SECUNDA, depositio clericis infligenda, quo ipso laicam accipere dicebantur communionem. Communionio laica erat, vt verbis ALBASPINÆ lib. I. de veter. eccles. ritib. obs. 4. n. 5. utar, esse in ecclesia & de ecclesia tanquam laicum, ita vt qui ecclesiasticus laice communioni deputabatur, gradu suo perpetuo excideret, & ex clero fieret laicus. Neque enim tunc cognitum erat anathema Tridentinum, iis dictum, qui docent, clericum ordinatum, maxime presbyterum, laicum

laicum rursus fieri posse. TERTIA *segregatio*, vel 3) *suspensio*,  
*suspensio ab officio*, erat, quorsum meo iudicio com-  
modo referri potest censura *peregrine communionis*, la-  
tini dicta. Cautum quippe erat, ne clerici sine *lit-  
teris formatis* peregre abirent. Si absque his adueni-  
rent, forsan quod eis excidissent, non quidem *ex-  
communicatis* accensebantur, sed nec ad ecclesiæ com-  
munionem admittebantur, quod de eorum statu,  
nondum constaret, (*v. can. Apost. 32.*) donec tandem  
ecclesia, ad quam venerant, aliunde de eis satis infor-  
mata esset. In effectu ergo *suspendebatur* interim *com-  
munio* cum eis, vt clericis, vnde postea genus *pæne*  
*ortum* traxit, vt clerici delinquentes *communionem pe-  
rigrinam* acciperent, h. e. ad aliquod tempus suspen-  
derentur ab officio ecclesiastico, donec ad frugem  
reduissent. Hi itaque restituebantur, non item *de-  
positi*. Conf. ALBASPINAEVS cit. l. obs. 3. QVARTA est 4) *pœnitentia*  
*pœnitentia*, & quia status *electorum*, sed per *pœnitentia*  
*ad ecclesiam redeuntium* ita comparatus erat,  
vt secundum *quid* tantum, sed non *perfecte* com-  
munioni essent restituti, inde genus *pæne* & *censuræ*  
*paulisper enatum* est, vt quosdam delinquentes non  
excommunicarent penitus, sed tamen eosdem ad  
tempus inter *pœnitentes* in certo gradu collocaue-  
rint, vt cum his tantum communicarent, adeoque  
hæc *pœna* dici posset, *communio pœnitentium*.

§. XXVI. Omnis itaque *pœna* & *censura* in *Omnis pœna*  
*priuatione communionis* consiltebat, & quidem a) *ex-* in *priuatione*  
*communicatio* in *priuatione totali communionis ec-* *communio-*  
*clesiasticæ*, qua desinebat esse *membrum ecclesiæ* fuit  
*externum*, non tamen internam *unionem* cum Deo  
*mittebat*, si inique *electus* esset: b) *communio laica*

E

in

in priuatione communionis clericalis, qua desinebat esse membrum inter clericos, & laicus siebat:  $\gamma$ ) *communio peregrina* in priuatione officii sacri ad tempus, quia suspendebatur communio cum clero, qua tali, vt tamen non fieret laicus:  $\delta$ ) *communio paenitentialis*, qua non desinebat esse membrum ecclesiae, sed ad tempus *communio plena* cum fidelibus suspendebatur, & leuius delinquens in quendam gradum poenitentium detrudebatur.  $\epsilon$ ) *Denegatio simplex communionis*, quam *abstentionem* dicebant, quam episcopi interesse exercebant, si cum aliis, a quibus discrepabant, communicare nolebant, qua tamen non erat perfecta & *plena excommunicationis*, vt supra iam dixi. Denique  $\zeta$ ) *paenitentia plena & legitima*, quam electi subire tenebantur, & quam diu in eo statu erant, nondum communioni perfecte restituti erant, adeoque eorum *communio imperfecta* erat MORINVS cit. l. lib. IV. c. 15. Alias *penas* & *censuras* ignorauit ecclesia prisca per aliquot secula, donec corruptior eiusdem status, postquam ad dominatum &  $\pi\omega\lambda\pi\tau\epsilon\alpha\omega$  omnia composita fuere, plures nouas ex *statu ciuili* receperit, & inde subtilia quædam discrimina inter *penas* & *censuras* excogitauerit. Diversis autem appellationibus haec censurae distinguebantur, tum a *Græcis* tum a *latinis*, quod ad varias difficultates ansam præbuit, ut vel, quæ MORINVS cit. l. adfert, abunde testantur.

De iure ecclie has censuras ex encendi

§. XXVII. Tradidi censurarum varias species pedetentim receptas, imo paulisper tractu temporis immutatas: consequens est, vt addam, quo iure ecclesia has exercere potuerit? cum ex multis argumentis constet, ecclesiam priscam non fuisse *republicam*,

blicam, imperio externo & iurisdictione a Christo haud  
 instruētam, nec ab episcopis primævis per schemata  
 politica gubernatam, quamvis hoc interpres antea  
 allati vno ore doceant. Atque in hoc consistit mem-  
 brum secundum, quod explicandum suscipio. Vide-  
 licet ecclesiarum quarumcunque primituarum stru-  
 ctura & ratio ostendit, eas cohæsisse ad instar corporum  
 equalium, in quibus imperii & iurisdictionis exercitium  
 concipi nequit. Id ab aliis iam satis probatum est eu-  
 etnumque, imprimis a Dn. PRAESIDE ad tit. X. de maior.  
 & obed. in tom. I. iur. eccles. Dn. PFAFFIO in orig. iur. eccles. &  
 PVFFENDORFFIO de habitu relig. ad vitam ciuilem. Quæ  
 pro afferenda hierarchia ab ecclesiæ Romanæ doctori-  
 bus, vt HALLIERO, M. A. de DOMINIS, PETRO de MAR-  
 CA, BOZIO BELLARMINO aliisque in medium adferun-  
 tur, non examinabo, cum inter Protestantes plerosque  
 conclamatum sit, illa esse *asæcata*, & ab intentione  
 Salvatoris & praxi Apostolorum aliena. Hoc vero  
 posito, ius puniendi delinquentes quoque cessare de-  
 buit, quod etiam agnoscit plurimum reuerend. Dn.  
 PFAFFIVS de orig. iur. eccles. p.38. aiens: *Ordo hic & hec di-  
 rectio in ecclesia ista primitua sine olla dirigidunt supere-  
 minentia magistrali, sine ullo Domino, SINE ETIAM  
 POENIS, (Spirituales illas miraculosaque, quas Apo-  
 stoli facultate extraordinaria prædicti malis infligebant, ex-  
 cipimus) omnique tyrannie procul habita, exercita fuit.*  
 De exceptione adducta, p. seq. ita edisterit: *Apostoli  
 quippe penitus miraculosis potestate hac a Domino instruēti pec-  
 catores affligeant, dirisque ipsos & satanæ, anathemate  
 subinde adieco, deuouebant. Nec velim, addit p. 66. aias,  
 hinc patescere & elucescere, Apostolos autoritate ciuili qua-  
 dam a Christo ad regendam ecclesiam donatos fuisse, a minori*

E 2

ad

ecclesia pri-  
 mitiva non  
 fuit respubli-  
 ca

Ergo iure im-  
 perio' punire  
 non potuit

ad maius valere consequentiam. Iam enim ab extraordina-  
riis Χαροπασι & punitionibus miraculosis & θεηλάτοις ad  
ordinarium facultatem, quæ & iis adscribitur, qui mira-  
cula patrare haud valent, consequentia non valet. Hoc  
ipso reprobat eorum doctrinam, qui traditionem sata-  
næ a PAVLO exercitam, ordinariae potestati episcopo-  
rum adscribunt, vt pœnam quandam spiritualem ecclæ-  
siæ proprio iure attribuere possint.

duo funda-  
menta iuri  
puniendi

1) ex statu pe-  
culiari princi-  
pitiuæ ecclæ.  
siæ

quæ omni  
præsidio rei-  
publicæ de-  
stituta fuit

§. XXVIII. Duo vero omnino sunt funda-  
menta; qua tum *ius*, tum *īsum* primitiæ ecclæsiæ  
legitimare, præterea vero discrimin inter hodier-  
nana ecclæsiæ Romanæ doctrinam & antiquam fin-  
ceritatem ostendere possum. Primum *ex statu pe-  
culiari primitiæ ecclæsiæ petendum*: alterum *ex ra-  
tione & natura collegiorum atque confociationis hau-  
riendum*. Quod ad primum attinet, et si ecclæsiæ,  
vt sodalitia alia æqualia, essent in & sub republica, &  
sic præsidio eius merito frui debuissent, hoc tamen  
infideles magistratus & imperatores ecclæsiis non  
tantum denegarunt, sed etiam eas & sacra in iis per-  
acta dirissimis vexarunt persecutio[n]ibus, publicis-  
que edictis exterminare annisi sunt, quo ipso factum,  
vt ex odio gentiles ecclæsias proflus reprobarent,  
vt collegia illicita damnarent, & *pacis* tempore et-  
iam, quod quandoque diuino beneficio iis datum est,  
indignas eas iudicarent, quarum curam haberent,  
quarumque res saluas atque incolumes cuperent.  
Hoc modo Christiani eorumque sodalitia reipublicæ  
præsidio omni destituta, diuina principaliter guber-  
nata sunt prouidentia, & intrinſico quodam regi-  
mine, quod, ex *necessitate communi & æquali*, sibi  
communi consensu constituerunt, gubernata. Hoc  
modo

modo Christiani, omni reipublica tutamine destituti, res suas sibi habere, & a se met ipsi omne praesidium auxilium & remedium querere coacti fuere, & sic non potuere non iure collegii, quo ad minimum inter se gaudebant, per pacta determinare, quæ in rei suam facere videbantur, quæque ordinem pacem & tranquillitatem conseruabant. Hoc modo ex accidente Christianorum corpora libera erant ab sibi relista omni imperio ciuili: si a Deo discesseris, a se met ipsi dependebant: rationibus reddendis haud obnoxia quoad regimen, ab illis tantum exactis, quæ publica munita erant approbatione: propriis sustentabantur legibus & pactis, legibus reipublicæ ex accidente soluta, quod intuitu eius personam moralem haud sustinerent, vt ostendit Dn. PRÆS. tom. I. iur. eccles. ad tit. de maior. & obed. §. 22. seg. Suis porro constabant iudiciis mutua confederatio firmatis, in quibus magno cum pondere, vt in conspectu Dei, iudicabatur, vt ait TERTVLL. in Apolog. c. 39. eas inter se pœnas constituebant, quas natura collegii permittebat, sine vlla prouocatione ad tribunalia reipublicæ: soli visitationi & inspectioni suorum Præpositorum suberant, & vt binis dicam verbis, a reipublica in regimine interno vel ideo non dependebant, quod ab ea essent derelicta, oppressa, conculcata, fugata & inter non entia moralia relata, destituta scilicet approbatione ciuili, qua omnia collegia & corpora ex legibus Romanis indigebant per l. 1. 2. 3. D. de colleg. & corpor.

§. XXIX. Hic status vero ecclesiæ, quatenus qui status ex vt collegia & corpora externa considerantur, per se accidente iis non erat proprius, sed ex accidente iis obueniebat.

E 3

Quia

Quia ecclesiæ seu fideles, *in uno coetu* considerati, in & sub republica viuebant, exemptionem ab omni *subiectione ciuili*, vtpote cui omnia corpora, qua talia, suberant, sibi afferere nec poterant nec debebant. Hoc quidem certum expeditumque est, ex ratione finis & natura omnibus collegiis communi, permisum iis fuisse, quæ ad finem propositum spectabant, determinare & ordinem talem seruare, quem res Christianæ spectabant. Quandoquidem generatim permisum erat collegiis quibuscumque probatis iuxta l. 4. pr. de colleg. vbi C A I V S ita: *sodales sunt, qui eiusdem collegii sunt, quam græci ἑταῖροι vocant.* His autem potestatem facit lex, passionem, quam velint, sibi ferre, regimen ta- men quod- dam deinde rauit perio aut potestate ciuili ad eius directionem fuissest opus, si omnia & singula membra in vere pietatis tramite ambulassent, & Spiritus sancti regimini unice se se comisissent, quia sic demum *coactio* omnis quieuisset, remedia ciuilia locum haud inuenissent, & iudiciorum vigor omni applicatione destitutus fuissest. Inanis est legum terror, vbi omnia spontaneo spiritu fiunt: arma ciuilia facessant, quando turbatores pacis & euersores boni ordinis defunt, his ipsis compescendi; denique si lites iurgia grauiora & seditiones deficitur, vel faciliter opera sedari possunt, iudicia coactua ab his collegiis ab esse possunt. Vno verbo: regiminis ciuilis ratio ad ecclesiastica comparatas, instructas, & effigiatas se se non extendit, quia *legum terror, arma ciuilia, panæ & iudicia coactua* rebus publicis propria sunt, inordinatis, inquietis & malis tandem obiicienda.

§. XXX.

§. XXX. Enimuero vbi tales *ecclesia externa* in hoc imperfecto rerum statu deprehensae fuerint, vt *verbum* fatear, ignoro. Equidem egregia & excellens fuit plerorumque primorum Christianorum virtus; sed Zizania in optimo etiam agro hinc inde prorupit: admiranda infinitorum fidelium fuit pietas & solidia in Christum fides; sed etiam hypocrites & schismatum semina sub ipsis Apostolorum temporibus paulatim sparsa sunt, vt non defuerunt *hostes ecclesiarum interni*: humilitatis studium insigne plerisque propositum, & a plerisque etiam excultum fuit; quis vero ignorat φαλοντεύντας imperium quoddam in ecclesiis affectantes & turbas dantes? III. epist. Ioh. verf. 9. epist. Iud. v. 12. Seculi secundi mores iam declinarunt, & seculo III. pleraque adeo in peius ruere coeperunt, vt seditiones, factiones & turbæ hinc inde, maxime Romæ & in Africanis coetibus, auditæ, aliquis variis malis domesticis afflictæ tuerint ecclesiæ. Quis crederet, iam seculo II. fulera *dominatus sacri* quodammodo iacta, & subsequentे adeo corroborata fuisse, vt subito, omni exuta æqualitate, episcopatus in quendam principatum degenerauerint, viresque sequentibus temporibus sumferit? Præterea persecutions multos in auersam ab ecclesia mentem traxerunt, vt infiniti lapsorum casus ostendunt, qui sedatis ecclesiæ rebus Christianis rursus annumerari malebant. Hic status ecclesiarum singularis desiderauit aliquam *disciplinam*, ne *hostes interni* eas destruerent, aut impii fidelibus mixti traducendi Christianos occasionem gentilibus præberent, (ad quod admodum proni & proclives erant) quoscunque despera-

quæ discipli-  
nam quan-  
dam deside-  
tarunt

speratæ atque perditæ conditionis homines in cœtibus fidelium tolerari, foueri, recipi. Inde cogitandum de mediis purgandi ecclesiæ facinorosis hominibus, & calumnias gentilium, quas collegit KORTHOLT *in pagano obrectatore*, ipso facto retundendi, quod pluribus illustrat Dn. PRAES. *diss. 3. ad Plinium II.* & *Tertull. §. 2. seqq.*

in sacris non  
clare deter-  
minatam

sed introdu-  
ctam per con-  
federatio-  
nem.

§. XXXI. Quamvis vero plurimi ea ducantur opinazione, *disciplinam* hanc in sacris determinari, & præscribi, vt ex nonnullis locis, scilicet *Marth. XVIII.*, *15. Ioh. XX.*, 23. aliisque colligunt; plurima tamen sunt, quæ hisce fundamentis apparentibus opponi queunt, a Dn. PRAES. *cit. l. §. 6. seqq.* adducta quæ non repetam. Planius atque euidentius fundamentum adferunt hi, qui mores primæuos Christianorum tradiderunt, qui ad *confederationem* *mutuam* tum ecclesiarum inter se, tum eorum, ex quibus cœtus constabant, prouocant, docentque, *TERTVLLIANO* in *apol. c. 2.* interprete, Christians in tam *extraordinario* *statu* collocatos, de *disciplina confederanda* in suis egisse coetibus; seque, vbi per baptismum in coetum fidelium recepti, sub *manu antifititis*, congregata tota ecclesia, obstrinxisse de delictis *sub iactura iuris fraternitatis* vi-tandis, teste *EODEM ad Scapul. c. 1.* & *de coron. c. 3.* & *13.* Qua de causa de eo, qui eiiciendus erat ob lapsus grauiores, iudicium quoddam agebatur coram tota ecclesia, præidente *episcopo* cum *presbyteris*, vt rursus *TERTVLLIANVS* in *Apol. c. 39.* docet. Plenius vero hanc praxin tum *Romanorum* *Africanarum* ecclesiarum enarrat atque probat *CYPRIANVS*. Aequum enim erat, vt quoties de membro abscindendo, *ex precedente pec-  
cato*,

cato, agebatur, omnes quoque consentirent, qui eum in *fraternitatis iura* admiserant. Hoc intuituve-  
ro hæc pœna erat conuentionalis & pacitia, non vero, vt conuentiona-  
lis nata  
in republica, virtute *iurisdictionis* & *imperii* sacri infli-  
gebatur, a qua potestate adhuc plerique episcopi  
alieni erant, quamvis seculo III. quidam *principatum*  
quendam & *magistratum* iam affectarent. Prouocat  
quoque ad hanc *confederatam disciplinam* passim pl.  
reuerend. Dn. PFAFFIVS in orig. *iur. eccles.* ostenditque,  
libertati hoc ecclesiarum datum fuisse, vt certum or-  
dinem regiminis inter se introducere potuerint.

§. XXXII. Præter *confederationem ecclesiarum*, ita-  
tus quoque ecclesiarum, quatenus *collegii iura* exer-  
cere poterant, idem ius iis indulgebat, vt excludere  
& a cœtu suo separare eos possent, qui contra datam  
in baptismo fidem delictis & lapsibus gravioribus se-  
se maculauerant. In hoc alterum fundamentum iu-  
ris *excludendi* a cœtu fidelium delinquentes colloco,  
id quod sicuti cuius collegio, qua tali, conceden-  
dum est, ita rursus inde liquet, potuisse ecclesiæ pri-  
meas, hoc ius sine vlla *iurisdictione* aut *imperio sacro*,  
quod ab iis admodum alienum fuit, exercere, vni-  
uersis, qui in eo cœtu erant, membris ad hunc *exclu-  
dendi* actum concurrentibus. Quamvis vero ab una  
particulari ecclesia electus, in aliis haud receptus, do-  
nec ab ecclesia ciiciente in integrum restitutus fue-  
rit, quod vel exemplum MARCIONIS docet, teste IRE-  
NAEO lib. I. adv. heres. c. 3. id tamen ex *minima vnione*  
*omnium ecclesiarum inter se* profectum est, quæ non per-  
mittebat, vt factum vnius ecclesiæ ab aliis improba-  
bari potuerit. Id vero omnino factum fuisset, si re-  
quis ecclesiæ ab aliis electos in suam *fraternitatem*

recipere licuisset, quod ita alterius ecclesiae iudicium iniquitatis accusassent, prout presbyteri Romani, nulla adhuc ambitione *imperii* cuiusdam ducti, egregie agnouere in MARCIONIS exemplo, teste IRENALO cit. l.

quod illustratur testimonio Dupinii

cum epicrisi quadam.

§. XXXIII. Fundamenti huius veritatem placet illustrare verbis DUPINII de discip. eccl. diss. 3. in prelog. vbi ita insit: *Nulla est hominum societas, cui ius non sit & potestas eorum expellendorum, qui leges societatis infringunt, vel eius bono aduersentur. Quemadmodum enim in corpore humano membra purrida sunt resecanda, ne totum corpus inficiant, aut sicut in gregibus morbida oves a sanis secernende sunt, ne per totum ouile morbus grasseatur; ita etiam in hominum societatis necesse est, eos, qui societati pessimis factis vel exemplis obsunt, expelli, tum ne societatem perturbent, tum ne ceteri in eandem trahantur peruersitatem. Id vero si qua in societate necessaria, maxime in eccllesia, cuius finis est, rectam fidem & bonos mores in hominum animis conseruare, ut beatitudinem eternam consequi possint. Nam si non posset eccllesia homines prava facientes aut docentes a sua societate remouere, breui tempore quamplurimi eorum exemplo in eandem traherentur impietatem. Corrumptunt enim bonos mores tum colloquia, tum exempla prava. Non est ergo denegandum ecclesiæ illud ius, quod omnibus societatis competit, ut possit homines societate sua indignos, quantum in se est, ab ea remouere.* Ita vero recte omnino sentit, si modo per ecclesiā haud intelligeret episcopos, presbyterosque, neque his fere vnicē hanc cienciendi potestatē vindicaret, vt ex iis, quae c. l. tradit, liquet. Recurrunt enim (1) ad ius clauium, & electionem hanc vi illius fieri, & olim factam fuisse censet. Enimvero constat, in eccl-

ecclesia Romana sub hoc iure quæri *iurisdictionem & imperium quoddam sacrum*, virtute cuius omnes eiusmodi actus expediuntur, & ecclesia redigitur in *republicam proprie dictam*, cui præsunt sacerdotes cum *imperio*, quod minime ferendum. (2) Quamuis non neget, claves ecclesiæ vniuersitati datas fuisse, & in vniuersa residere ecclesia, quo nomine ait, in *sacris literis non sacerdotes soli, sed vniuersus fidelium cœtus intelligitur*; mox tamen vela retrahere videtur additque, omnes fideles ad exercitium hujus iuris non concurre-re, sed solis sacerdotibus hoc esse reservatum: vnde etiam, pergit, *claves solis sacerdotibus datae recte dici possunt*. Et tamen (3) concedit, primis ecclesiæ seculis non solos episcopos, sed etiam presbyteros, accedente etiam *laicorum consensu*, hoc ius exercuisse, ac PAV-LVM autorem *vniuersæ Corinthiorum ecclesiæ fuisse*, vt incestuosum a se remouerent eiicerentque. Quæ si vera sunt (4) non clero soli *ius clavium datum*, aut asserendum ex aliis fuleris, quam ex *iure clavium ius* hoc deriuatum fuisse, prout iam antea indicaui. Neque vero nunc me hic immittam in illos fluctus, qui circa *ius clavium* moventur, qui tamen ita comparati sunt, vt ægre superari, vel ad minimum sedari ita pos-sint, ne in castra ecclesiæ Romanae, *iurisdictionem quan-dam inde fabricantis*, pede dentim transeamus. Tu-tius omnino est, adductis fundamentis insistere, quam incertum, ambiguum, & scopolis plenum loco eo-rum adoptare.

§. XXXIV. Sicuti vero ecclesiæ, quatenus *cœtum* denotat, ius eiiciendi delinquentes recte ex-ercuere, sine *iurisdictionis* aut *imperiū*, cuiusdam præ-

F 2

Ecclesiæ pæ-  
terea iure  
collegii po-  
tuerunt re-  
textu; mouere indi-  
gnos clericos



textu; ita pariter *ius remouendi* presbyteros aliasque ecclesiasticas personas denegari non potuit, in quo etiam genus quoddam *pænae* constituitur. Rursus id cuius *collegio*, maxime tali, cuius respublica, in qua deprehenditur, nullam rationem habet, datum censi debet, ut a se constitutos praefectos iustis de causis remouere queat, ut tamen nihilominus remoti citra imperii *membra societatis* maneat. Inde vero nulla colligenda *iurisdictio* aut *imperium*, & sic in tali remotione nulla proprie dicta *pæna* quærenda est. Quin potius sicuti cœtu*i*us eligendi praefectos datum est, ita eidem denegari nequit, *ius indignos remouendi*, quod in officio suo & administratione a cœtu & corpore dependant, eique rationes de illa reddere teneantur. Quod quandoque in *statu ciuili* collegiis quibusdam tale *ius remouendi* ab officio vel admittum, vel admodum restrictum sit, id vel ob varios abusus, qui circa illud ante hac observati, vel etiam inde factum est, ut præcaueretur, ne in tali corpore quidam *magistratum* quendam aut *dominatum*, reipublicæ admnodum noxiū, affectarent.

*quod ex præceptis  
primitivæ ecclæsiae illu-  
stratur*

§. XXXV. Atque hoc *ius quoque* primo seculo, quo fides Christiana incorruptior stetit, *ecclæsie* qua tali tributum legimus in elegantissimo antiquitatis monumento h. e. in *CLEMENTIS epistola ad Corinios*, quam nomine ecclesie Romanae scripsit, apud COTELERIVM in collect. patrum, qui tempor. Apost. flor. p. 143 seqq. Videlicet in *ecclæsia Corinthiaca* inter ipsos fideles seu membra eiusdem orta erant quædam dissidia, tam late tandem disseminata, ut presbyteros quosdam officio priuassent, innocentes quamvis, & nullo reatu infectos. Ad hæc dissidia inter-

interna sedanda, Romana ecclesia ablegauit quos-dam ex suo gremio, iisque in mandatis dedit, vt dissidentes in concordiam reducerent, inique officio presbyterali spoliatos defendenter, idque adhortationibus suasionibusque agerent, vt restituerentur

in integrum. Eleganter vero CLEMENS per totam epistolam ostendit, ecclesiae qua tali ius hoc omnino competere; sed tamen inique & cun iniuria innocentis cleri haud exercendum esse. Dabo hic potiora loca, vt veritas rei omnium in oculos incurrat. In §. 44. de constitutione episcoporum presbyterorumque loquitur, hæc subiungens: *constitutos itaque ab illis (Apostolis) vel deinceps ab aliis viris eximiis, consentiente atque comprobante vniuersa ecclæsa; qui inculpate ouili Christi ministrauerunt, cum humiliatae, quiete nec illiberaliter; qui que longo tempore ab omnibus testimonium præclarum reportarunt, hos putamus officio iniuste deiici.* Neque enim leue erit nostrum peccatum, si eos, qui citra querelam & sancte offerunt dona, episcopatu priuauerimus -- Videmus enim quod vos non-nullos pie vinentes ex administratione, quam inculpate & honorifice exsequebantur, transduxistis. Contra presbyteros autem hanc motam fuisse seditionem §. 47. declarat: *turpia sunt, dilecti, ac valde turpia & Christiana conuersatione indigna, audiri, firmissimam & antiquam Corinthiorum ecclesiam propter unum aut alterum hominem contra presbyteros seditionem mouere.* Denique §. 54. euidentius ius ecclesiae seu totius cætus agnoscit his verbis: *Quis igitur inter vos generosus? qui misericors? qui caritatis plenus? dicat: si propter me seditio & discordia & schismata: discedo, abeo, quocunque vo-*

lueri-

F 3

*Iueritis, & facio QVAE a PLEBE MANDANTVR; solum ouile Christi in pace degat cum constitutis presbyteris.*

*Vltra has poe-  
nas primitiuas  
ecclesia non  
progredieba-  
tur*

§. XXXVI. His censuris vel poenias primitus tantum ecclesia vsa est, & quidem, non iure *imperii*, sed tum ex mutua quadam *confociatione* tum etiani ex ratione ipsius *collegii*, prout demonstrauit. Vltra non progrediebatur, quia *ius propriæ dictum puniendi* non habebat, quemadmodum etiam in earum executione totus coetus concurrere debebat, ne *magistratus* quidam in ecclesiis nasceretur. Iam quidem CYPRIANVS has poenas vocat *censuras sacerdotales*, vt supra allata loca euincunt; enim uero a *potiori* ita dictæ fuere, quod episcoporum auctoritas in iis infligendis iam eo tempore amplissima esset, plebe licet a cognitione nondum exclusa; quia quod eo tempore iam episcopatus in quandam magistratum degenerauerit, cuius vestigia CYPRIANVS passim edit. Vnde hoc modo sine dubio quoque accipiendi sunt, qui *excommunicationem* proprio sic dictam *penam* esse negant. Adferam hac de re sententiam Dn. BVDDEI in *theol. moral. P. III. c. 3. §. 63.* ita edifferentis: *quod ad excom-  
municationem attinet, supponendum eam, in SE SP E-  
CTATAM neutiquam esse penam propriæ sic dictam, cuius  
infingende potestas soli magistrati competit, sed tan-  
tum declarationem, ab ecclesiâ vel nomine ecclesiæ factam,  
aliquem, qui emendationem omnem respuit, nec a pec-  
catis suis vult desistere, non posse haberi pro vero & viuo  
ecclesiæ membro, donec respiscat. Vnde & patet, ex-  
communicationem per se neutiquam infamiam ciuilem  
secum trahere. Id vero eo admitti potest sensu, quo  
cuili-*

euilibet collegio datum censeri debet, vt possit putri- & ita excom-  
dum membrum a se remouere, saluo tamen recursu municatio in  
ad magistratum in republica, si iniuriam sibi factam fe spectata  
fuisse queratur exclusus. Tunc enim hic de iniuria proprie dicta  
tantum iudicat, ius autem excludendi collegio in du- poena haud  
biuum non vocat. Satis notanter vero Theologus erat  
magni nominis de *excommunicatione in se spectata* hoc  
prædicat, sine dubio ei opponens *excommunicationem in*  
*exercitio hodierno consideratam*, quod per secula plera-  
que habuit. Non diu stetit in tali *simplicitate ex-*  
*communicatio*: mox in *pœnam* degenerauit *proprie-*  
*dictam*, vt infra ostendendum erit. Vtrum vero in  
ecclesiis protestantium ab omnibus corruptioni  
fordibus ita purgata, & in *præstinam* restituta fuerit  
*simplicitatem*, vt *excommunicationem* sine *infamia*  
hodie concipere queamus, infra ostendendum erit.  
Admittamus ergo secundum haçtenus dicta, *excom-*  
*municationem in se spectatam* a *pœnarum* classe separan-  
dam esse, & eatenus duntaxat hoc nomine venire,  
quatenus ius excludendi corporibus attribui potest,  
quæ *exclusio* *electum* grauat atque molesta est.

§. XXXVII. Hoc ipso vero simul explicavi. Nec pœni-  
membrum tertium, quo ostendendum erat, *pœnam pri-*  
*tentia olim* *pena propriæ*  
*scam conventionalem* in *excommunicatione laicorum*,  
& *depositione* clericorum constitisse. Seculo IV. iam  
alias *pœnas* ostendimus, eas videlicet, quas §. 25.  
*seqq.* recensui; sed eo tempore iam prisca humili-  
tas descivierat, *imperio* in ecclesiam introducto, epi-  
scopisque *magistratus* imo *principum ecclesiasticorum*  
potestatem affectantibus, vnde *pœne ecclesiastice* pro-  
prie dictæ natæ sunt. Id vero nunc quidem ulterius  
haud

haud persequar, sed quod in hoc *membro tertio* pri-  
marium momentum esse videtur, duntaxat euincam,  
*pœnitentiam*, si natales eius, & vsum primævum since-  
riorem respexeris, *pœnis conventionalibus* annumeratam  
haud fuisse: *depositionem* vero & *excommunicationem*  
non ita fuisse distinctas, vt hæc tantum fuerit *tempo-  
raria censura*, contumaciam castigandi, hominesque  
reprobos ad peccantiam deducendi, illa vero *pœna  
delicti commissi* perpetua, vt somniarunt scholastici.  
Etenim iam obseruauit Dn. PRAESES in not. ad ELEVRII  
inst. iur. eccles. P. 3. c. 19. §. 5. lib. X. inuersam plane es-  
se rerum faciem, & hodiernam ecclesiæ Romanæ do-  
ctrinam a veteri præceptu abludere. Primis ecclesiæ  
purioris temporibus *electio* seu *relegatio* ab omni sacro  
commercio, erat modus purgandi ecclesiam a facino-  
rosis hominibus, & qui exclusus erat, definebat esse  
membrum ecclesiæ *in perpetuum*, nisi gratia ipsi facta  
fuisset, ab eodem coetu, virde electus erat. Parि  
ratione *depositio* erat priuatio officii ecclesiastici perpe-  
tua; nisi gratia ipsi facta isque restitutus in integrum  
fuisset. In vtraque specie *pœna* cuiusdam *penitentie* ra-  
tio occurrebat, & quidem ex vna eademque causa;  
*depositus* enim indignus officio sacro; *excommunicatus* vero indignus, communione ecclesiastica iudicabatur.  
Vtraque priuatio non ea fiebat intentione, vt  
restitueretur indignus suo tempore; sed primis Chri-  
stianismi natalibus *depositus* non aliter quam per *gra-  
tiā* ad amissum redibat officium & rurlius *electus* quo-  
nec siebat in que eo modo recipiebatur per viam *gratiae*. Erroneum  
hunc finem ergo est, excommunicationem ideo infictam fuisse de-  
tiæ se subiit linquentibus, vt *penitentie publicæ* tanquam *pœna* se-  
ceret electus.

subiicerent; cum potius *pœnitentia* fuerit medium spontaneum, ab electis electum, quo in gratiam redire cum ecclesia studebant. Per hanc erroneam hypothesisin factum est, ut *pœnitentia* pœnæ rationem iuduerit, excommunicatio autem a classe *pœnarum* apparenter exclusa fuerit.

§. XXXVIII. Etenim palam est, ne quidem electos indistincte fuisse receptos; si vel maxime la crymis & ciuitatibus *gratiam* ecclesiæ ambirent. Aeuo <sup>cum electine  
quidem indi-  
stincte reci-  
perentur</sup> TERTULLIANI idololatris & homicidis *pax* in perpetuum negabatur, & ita excommunicatio effectum habebat perpetuum. Ait enim *de pudicit.* c. 12. in f. *hinc est quod neque idololatriæ, neque sanguini pax ab ecclesia redditur.* De mæbris & adulteriis electis idem constituendum esse contendebant Montanistæ, quod defendit acriter TERTULLIANVS cit. tr. contra Romanæ ecclesiæ placita, quæ adulteros, pœnitentia peracta, recipiebat. In Africanis ecclesiis ante CYPRIANI tempora eandem obtinuisse praxin docet prælau-datus Præf Carthaginensis ep. 55, p. 110, edit. Brem. & quidem apud antecessores nostros quidam de episcopis istis, in prouincia nostra dandam pacem mæbris non putauerunt, & in totum pœnitentia locum contra adulteria clauserunt. Rursus ergo eo tempore exclusio eorum erat perpetua sine *peccata*, & que ut depositio clericorum. MARCIONIS exemplum hoc docet; quamvis enim diu multumque patri (episcopo) supplicasset, ac pœnitentiam postulasset, hanc tamen ab eo precibus nullis obtinuit, vt ait EPIPHANIVS hæres. 42. Ratior- nem huius disciplinae severioris hanc suppeditat IN- NOCENTIVS I. epist. 3. ad Exuperium. c. 2. Nam cum illis temporibus crebræ persecutio[n]es essent, ne commu-

G

nioni

nionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non reuocaret a lapsu, negata merito communio eſt, concessa panitentia, qua cum Deo poterant redire in gratiam, quæ ad communionem extēnam haud erat adſtricta. Nonnullæ ecclesiæ quidem lapsos prima vice, peracta pœnitentia, recipiebant; ab omni lpe receptionis vero eos arcebant, qui bis ad eundem, ut testis est CLEMENS ALEXANDRINVS lib. III. ſrom. p. m. 292. Erat itaque disciplina hæc arbitaria, nec ecclesiæ miiores his, quæ ſeuiores erant, desuper quæſtionem aut lites mouebant, quod indicat CYPRIANVS epift. cit. 55. p. 110. Postquam enim enarrauerat, antecessores ſuos moechis pacem nunquam dediffe, hæc ſubiungit: non tamen ab epifcoporum ſuorum collegio recesserunt, aut catholicæ ecclesiæ unitatem, vel duritiae, vel censuræ ſue abſtinatione ruperunt; ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de ecclesiā ſepararetur. Id tamen, meo iudicio, fieri debuiffet, ſi eo tempore dogma ecclesiæ Romanæ hodiernum obtinueret, excommunicationem tantum eſſe medium reducendi homines ad frugem & resipſcentiam, non item pœnam perpetuam & proprie dictam.

Secundum  
quid id agno-  
vit Fleurius

cultates videtur FLEVRIVS in inf. iur. eccl. P. III. c.  
19. § 5. vbi antiquam & recentiorem doctrinam hoc  
modo in concordiam reducere tentat. Ait: Sunt  
& aliae penæ canonicae, quæ ad priuationem honorum  
spiritualium temporariam diriguntur, ut reus ad fru-  
gem redire infligetur, ſcilicet ſuspensio, interdictum,  
excommunicatio: quas censuras, quam penas appellare malim. Nam licet excommunicatio Christianum  
a Societate fideliūm excludat IN PERPETVVM,  
ecclēſia

ecclesia tamen non intendit, ut perpetuo miser sit, sed  
ut respicat & peccati veniam petat. Aliud de clero-  
deposito, qui eo animo deponitur, ut per omnem vi-  
tam priuatus maneat ministerio, quo semet indignum  
reddidit. Num si restituuiur, id sit per dispensationem  
& ex gratia singulari. Ita quidem rationes subducit  
ex principiis disciplinae recentioris, vi veritatis ad-  
actus tamen negare non potuit, excommunicationem  
excludere delinquentem *in perpetuum* a communio-  
ne, vt indignum putridumque membrum, licet  
*spem venie* hodie habeat, qua s̄epe olim carebat, si-  
cuti depositus non omnem *spem venie* amittit. Ae-  
que difficulter olim restitutus fuit excommunicatus,  
ac depositus, si pœnitentiales labores gradusque se-  
dula perueluo mente. Denique olim nonnisi per  
*gratiam* ecclesiæ restituebatur electus, quæ etiam de-  
positum in priorem locum, quem amiserat, redu-  
cebat. Sæpe enim eueniebat, vt electi, grauiori-  
bus criminibus irretiti, nonnisi magna cum diffi-  
cultate *gratiam* ab ecclesia seu cœtu toto impetrarent,  
prout testatur CYPRIANVS ep. 59. p. 137. scribens: *Osi*  
*posse*, frater carissime, iſtic interesse nobiscum, cum  
prauis iſti & peruersi de schismate reuertuntur, videres,  
quis mibi labor sit, persuadere patientiam fratribus no-  
bris, vt animi dolore sōpito recipiendis malis, curan-  
disque consentiant. Namque vt gaudent & letan-  
tur, cum tolerabiles & minus culpabiles redeunt: ita  
contra tremunt & reludantur, quoties inemendabiles  
& proterui, & vel adulteris, vel sacrificiis contaminati,  
& posthac adhuc insuper superbi, sic ad ecclesiam re-  
meant, vt bona intus ingenia corrumpant. Vix plebi  
persuadeo, imo extorqueo, vt tales patiantur, admitti,

G 2

&amp; in-

*& iugior factus est fraternitatis dolor ex eo, quod unus atque alius obnitente plebe & contradicente, mea tamen facilitates suscepit, peiores extiterunt, quam prius fuerant.*

Poenitentia  
erat medium  
redeundi in  
gratiam cum  
ecclesia

inuita non  
imposita sed  
sponte electa  
& suscepta

*§. XL. Non aliter tamen electi recipiebantur, quam si exterris doloribus & præcedente exomologesi ostenderent, se ad frugem rediisse, quod plenius illostrauit ex antiquitatibus Dñi, PRAESES in diff. ad Plin. & Tertull. §. 13. seqq. Hanc viam redeundi cum ecclesia lœsa in gratiam, pœnitentiam vocarunt, quæ ab initio non per certos gradus & tempora erat determinata, sed iudicio ecclesiæ subiecta. Neque hæc electis per modum pena imponebatur, verum hanc ipsimet sponte eligebant, vt medium pristinum in ecclesia locum atque iura fraternitatis amissa recuperandi. Qui hoc medium respuebat, in perpetuum exclusus manebat; æquum enim erat, vt, qui suo facinore ecclesiæ lœserat, non aliter reciperetur, quam vt iniuriam illatam agnosceret, deprecaretur, atque argumenta vitæ purioris imposterum agendæ ederet, quod ab initio sufficiebat. Inde quoquenemo pœnitentiam hanc subibat, quam electus: occulta delicta sicuti non operabantur excommunicacionem, ita nec pœnitentiam: quin quod nec catechumeni, nondum in iura fraternitatis suscepiti, pœnitentiæ huic sece haud subderent, quod restituiri non posset, quia nondum iura fraternitatis amiserat. Hæc vel binis verbis tantum tango, vt demonstrem, pœnitentiæ non fuisse ab initio introductam, vt medium pœniendi delicta. Enimvero postquam seculo III. tempora & gradus ei præscripti, & seuerius cum lapsis actum est, imo postquam quibuslibet delictis etiam occultis pœnitentiæ subeundæ iugum sub iacturæ salutis*

*luiis æterne imposita, & tractu temporis dolores, cruciatus, & varia mala ei supperaddita, poenitentia & esse & dici cœpit pœna, prout etiam sub hoc conceptu in iure canonico traditur, adeo ut etiam *inuiti* & *reluctantes* his subiiciantur, vt iam tradendum est.*

§. XLI. Videlicet, quod *quartum membrum* dicendorum iuxta §. XV. constituit, post lapsum trium priorum seculorum, facies *ecclesiarum* pristina, eaque adhuc sincerior, adeo immutata est, vt nouum prorsus statum induerint. Cum enim antea *societas æquales* fuerint, sine *imperio episcopali*, sine *iurisdictione ecclesiastica* a republica independente, quin potius disciplina recepta mutuo cleri & plebis consensu, prout in societate æquali necesse erat, peragere-  
tur, episcopi postea principatum quendam in ecclesia ambierunt, & plebe a deliberationibus ecclesiasticis exclusa, omnia priuatiae disposuerunt in ecclesiasticis, presbyteris duntaxat in consilium in causis grauioribus adhibitis. Iacta iam sunt fundamenta *episcopalis imperii* Ieculo III. vt vel scripta CYPRIANI euincunt, seculo IV. magis corroborata, & sequentibus tempori-  
bus adeo aucta, vt status ecclesie in *politiam* de-  
generauerit, & pro articulo fidei habitum fuerit, *per-  
feciſſimam rem publicam* in ecclesia dari. Cum vero hæc desideret, caput supremum, magistratus subal-  
ternos, leges, iudicia, pœnas, cetera, conditores hu-  
ius vastissimæ reipublicæ operam dederunt, ne ei quid deesset, quod tandem etiam perfecerunt. Caput supremum pontifex est. Magistratus maiores, tan-  
quam *proreges* quidam *ecclesiastici*, sunt episcopi, in suis territoriis ecclesiasticis seu diœcesibus, sub quibus rursus minores militant, vt hæc vastissima respubli-

Immutata  
hæc omnia  
sunt ex statu  
ecclesiarum  
mutato

& in rempu-  
blicam con-  
verso.

ca optime cohærere videatur. Noui quidem Gallos ab hoc conceptu *reipublicæ* vastissimæ esse quodammodo alienos, *episcopale imperium* proferentes, singulisque episcopis in suis diœcesibus imperium sacrum proprio iure attribuentes, nec pontifici Romano tam immensam potestatem, quam Romana curia præoptat, indulgentes. Nihilominus tamen in conceptu *reipublicæ* subsistunt, & tantum de forma regiminiis disputant. *Episcopale imperium* eis magis arridet, papæ duntaxat quadam prærogatiua relicta, adeoque in effectu *systema plurium rerum publicarum particularium*, in qua pontifex præminet, condunt, atque ordinant. Id non satis (exemplo Dn. CYPRIANI in tract. von Ulrichsprung des Pabstthums) animaduertunt, qui tantum *papatum Romæ* querunt, qui potius in *imperio sacro* & conceptu de *republica* in ecclesia queri debebat, adeoque in *episcopatibus* quoque adest.

Inde nouæ  
doctrinæ de-  
poenitentia eccle-  
siasticæ s. audi-  
tæ

§. XLII. Hac structura rei publicæ facta, nouæ prorsus auditæ sunt doctrinæ: excommunicationem irrogari virtute iurisdictionis ecclesiasticæ: eam duntaxat esse remedium coercendi rebelles in foro exteriori, vt magistratui ecclesiastico pareant, & iniuncta præstant: vtterius eam non durare, quam contumacia durante: mox absoluendum eieclsum, si fidem de seruandis ecclesiæ præceptis dederit: nihilominus tamen delicta expianda & castiganda per poenitentiam, quibus satisfit magistratui ecclesiastico læso: ad eam, quæ iniuncta est, subeundam censuris opus esse, vt cogatur delinquens ad satisfactiōnem: hominibus peccata non remitti, nisi penitentialibus impositis; eas proinde necessario subeundas, nisi indulgentiis redemptæ fuerint, quæ debitarum

*tarum pœnarum relaxaciones* dicuntur: non tamen sufficere hæc remedia coactiva: pluribus opus esse, imprimis *interdicto* aliisque pœnis *politicis*, quibus affliguntur in republica seculari facinorosi: depositionem suspensionemque clericorum pari modo autoritate *iudicali* in foro exteriori exercendam: denique has omnes pœnas tantum infligi *subditis* proprieatis, & sic *iudicem* punientem debere esse *competentem*.

§. XLIII. Sicuti vero imperantes *seculares* & pœnae sp̄tantum *temporalia* gubernant, diriguntque; ita pon. rituales vocat̄ *spiritualia* h. e. *ecclesiastica*, dicitur dirigere cum imperio, quæ tanto *temporalibus* sunt digniora, quanto anima præfertur corpori, ut ait, INNOCENTIVS III. in c. 6. X de maior. & obed. Credendum fuit, D̄um duas instituisse dignitates, pontificalem autoritatem & regalem potestatem: sed illa, ait pontifex cit. l quo præst *spiritualibus* maior est: quæ vero carnalibus minor, ut quanta est inter solem & lunam, tanta inter pontifices & reges differentia cognoscatur. Hoc supposito, omnia iura ecclesiastica, qualiacunque fuerint, *spiritualia* dici cœperunt, quod ecclesia in sacris *spiritualis* diceretur, & ita quoque *qualitas* quædam *spiritualis* pœnis ecclesiasticis affingenda esset. Porro sicuti omnem potestatem & imperium sacrum in *iure clauium*, quod ius clauium spirituale est, quæsiverunt; ita quicquid inde emanat, etiam per remotissimam consequentiam, *spirituale* dicendum est. Et quidni pœnae *spirituales* dici possent, cum ius clauium animæ saluandæ gratia episcopis sacerdotibusque concreditum sit, cuius exercitium non potest non ex mente Romanæ ecclesiæ finem *spiritualem*, non *temporalem* habere.

## §. XLIV.

Ius hoc ta-  
men id mini-  
me euincit

§. XLIV. *Enim vero id adhuc in quæstio-*  
*ne est, vtrum ius clauium potestatem excommunican-*  
*di inferat, & an imperium sacrum, seu iurisdictio-*  
*nem ecclesiasticam inde eruere liceat? Respondet*  
*PAVLVS SARPIVS in tr. quem consolatione della mente*  
*inscribit, & quem de iure principum contra excommu-*  
*nicationes papales conscripsit: questa scrittura tutto che*  
*diano alcuni, che non s' adatti all' autorità di scommunica,*  
*non sia legame ma anzi taglio, e recisione d' un membro del*  
*corpo, ad ogni modo il sentimento più sano degli autori cato-*  
*lici, l' interpreta alla facoltà di scommunicare, e così l' uso*  
*dell' antica chiesa hâ osservata, quando appunto le dignità ec-*  
*clesiastiche, non havevano altro patrimonio che l' honor di*  
*Dio & il più delle volte il martirio del Prelato, a questa*  
*opinione ci sotto scriviamo. Verba hæc Gallus interpres*  
*ita vertenda esse censuit: Il est vrai, que quelques uns pre-*  
*tendent, que ce passage ne doit pas s' entendre de l' excom-*  
*munication, qui bien loin d' être un lien, est le retranche-*  
*ment d' un membre; cependant les Auteurs Catholiques les*  
*plus sensés ont coutume de l' interpréter en faveur du Droit*  
*d' excommunier, & tel a été le sentiment de l' ancienne*  
*Eglise, dans ces tems, où ceux, qui étoient elevez aux*  
*dignitez Ecclesiastiques n' avoient pour patrimoine que*  
*l' honneur de Dieu & les plus souvent, que les tour-*  
*mens du martyre, en ce sens nous y sousscrivons volontiers.*  
*Vnicum ergo interpretationis vulgatae fundamen-*  
*tum est autoritas ecclesiæ, & quidem priscæ, quamuis*  
*scriptores ecclesiasticos non indigitet. CYPRIANVS qui-*  
*dem in angustiis, in quibus a schismaticis coniectus*  
*erat, prouocasse ad ius clauium, ex epist. 33. & 75. cer-*  
*tum est; ast ante eum hæc doctrina vix audita, nec*  
*creditum fuit, ius eiendi improbos ex clauibus*  
*repe-*

repetendum esse, adeoque ad minimum ad *enun-*  
*apostolicum* prouocare non potuit SAPIVS. Constat  
 vero ex eruditorum obseruationibus, quam lubri-  
 cum hoc fundamentum sit, & quam parum præsidii  
*vniuersus papatus* cum infinito & immenso eiusdem  
 ambitu inde habeat. Verum huius locutionis intel-  
 lectum plenius indagauit cancellarius Tübingeris  
 meritissimus Dn. PFAFFIVS in orig. iur. eccles. P. i.  
 seqq. præ ceteris vero plurimum reuerend. Dn.  
 D. LANGIVS in hist. eccles. Sec. I. c. 4. m. 2. §. 10. p. 344.  
 ostenditque ius *clavium*, *ligandi* & *soluendi*, non ad  
 disciplinam ecclesiasticam, aut *ius puniendi*, vel pro imperio  
 in ecclesia agendi, sed ad officium docendi perti-  
 nere, quorsum etiam collineat Dn. PRAESES diff. 3.  
 ad Plin. & Tertull. §. 7. seqq.

nec impe-  
rium aliquod  
designat.

§. XLV. Enim uero tale fulcrum spirituale eri-  
 gendum fuit, quo grauius pondus autoritas ecclæ-  
 siastica in *imperando*, *puniendo*, *mandando*, *constituendo*  
 habere, & per illud animæ credulorum captiu-  
 ri potuerint. Hunc in finem *effectus* plures spiritua-  
 les censuris adscribuntur, de quibus plena manu  
 agunt GIBALINVS cit. tr. disq. VII. & DISCASTILLO cit. I.  
 diff. 2. sect. 4. Hi potissimum in priuatione omnis the-  
 sauri ecclesiastici & inde manantium spirituualium gra-  
 uiarum consistunt, quas in infinitum extendunt, vt  
 huius priuatio eo maius malum imprimere possit.  
 Excommunicatus enim dicitur esse extra ecclesiam,  
 extra Deum, in potestate & sub Tyrannide Dæmo-  
 nis constitutus, cui tradi ipso facto per hanc cen-  
 suram dicitur: in hoc vinculo decedens oblationibus  
 ecclesiasticis priuatur, nec ecclesiastice sepelitur,  
 adeoque ipsa priuatur vita æterna, quæ ex *iure clav-*

*vium*

H

vium est in manu ligantis. Ab omnibus præterea vitandus, adeo vt qui cum eo communicat, minori excommunicatione ligetur c. 39. X. de elect. &c. Interdictum porro sacrorum exercitium sistit, quod tamen in salutem internam hominibus datum est, vt fructibus eius carere teneantur. Quæ enim infinita bona ex missa quotidiana seu *sacrificio purissimo* fluere dicuntur, noto notius est, vt in his recensendis scrinia aliorum compilare haud necesse sit. Denique etiam suspensio *finem spiritualiæ* habere dicitur, vt contumax ad frugem redeat, pareatque ecclesiæ mandatis, quo facto, anima eius ab interitu vindicatur. Sed nec *spiritualitatis* conceptus reliquis poenis, etiam mere *secularibus*, iuxta GIBALINVM est denegandus, quatenus hæ ab ecclesia infliguntur delinquentibus, absque quibus salua & incolunis esse nequit res ecclesiastica & imperium sacrum, quod itidem *spirituale* esse creditur. Hoc enim ita *ecclesiæ* proprium & essentialiter eidem vniatum est, vt salus eiusdem, quæ *spiritualis* est, inde dependeat. Quicquid ergo facit ad *imperium sacrum*, & *hierarchiam* ecclesiæ stabiliendam, firmandam, augendam, ac conseruandam, id *spirituale* omnino dicendum. Atqui poenæ qualescumque ecclesiasticae id operantur. Ergo omnino *spirituales* dicendæ. Præterea causa ecclesiæ est cœla Dei & religionis; quicquid autem pro causa Dei & religionis agitur, *spirituale*, non *mundanum*, *terrenum*, aut *temporale* esse potest &c.

Sunt vero hæ  
poenæ eius-  
dem sortis  
cum poenis  
secularibus

§.XLVI. Ostendi summatim momenta primaria, ex quibus primario *spiritualis* qualitas poenis ecclesiasticis attribui atque inde inferri solet, has penas  
plane

plane diuersum finem & effectum a secularibus, quæ in quibus-  
in republica seculari exercentur, habere. Id vero inde cunque re-  
manifestum est, omnem horum argumentorum vim  
fere vnice resolui in decantatum illud *ius clauium*,  
in quo vniuersum *imperium sacrum*, iurisdictionem  
omnem *ecclesiasticam*, & totam hierarchiam consti-  
tuunt, quo fundamento destruncto, omnis *spiritua-  
lis ratio* cessat & euanescit. Quamdiu in conceptu,  
quod *ecclesia sit res publica a Christo ipso formata cum  
externo imperio, sacerdotibus mandato, subsistitur*,  
(quæ thesis ad *articulum fidei* in ecclesia Romana re-  
fertur) vix est, ut aliter rationes subduci possint.  
Interim tamen, quod iam in membris *sextio & septu-  
mo*, supra XV. allegatis, explicandum est, facile  
etiam ostendi potest, ecclesiam Romanam pœnas  
has *ecclesiasticas* in sua republica eodem tractare &  
exercere modo, vti exercentur in quibuscunque po-  
litiis, adeoque pœnas has idem præstare, imo plus  
*coactionis* ex conceptu de *spirituali qualitate* in se con-  
tinere, quam pœnas *seculares*. Plus vtique terroris  
incutunt illis, qui fidem suam sub traditionibus ec-  
clesiæ Romanæ captiuare tenentur, quam pœna *se-  
culares*, id quod pœnarum finis proprius est. Et  
sicuti quelibet externa *coactio* neminem interne sal-  
vat, emendat, corrigit; ita & pœna *ecclesiastica*, li-  
cet fucus de *spiritualibus effectibus* eisdem supperaddi-  
tus. Videlicet, quia *ecclesia, clerici, hierarchia, seu  
imperium ecclesiasticum*, & quæcunque alia instituta  
ecclesiastica ad *entia spiritualia*, ex decreto curiæ  
Romanæ & asseclarum relata sunt, & quidem hæc  
vel ideo, quia creditum fuit, hæc ad veræ *reli-  
gionis, usum, vigorem, conseruationem*, imo  
etiam substantiam pertinere; inde consecutio-



nem hanc deduxere, omnia media quæcumque debere dici *spiritualia*, quæ effectum hunc *spiritualem* h. e. religionis vigorem, operantur, ac propter finem *spiritualem* h. e. religionem, comparata sunt. Quod si ergo *religio Christiana* in *salute reipublice Christianæ*, in *sacerdotum potestia & clericorum dominatu* in *laicos* quoscunque collocanda est, omnia media, quæ *talem religionem* augent, ampliant, firmant, *spiritualia* dici debent, quod *religio ipsa* ad *entia spiritualia* præ ceteris reducenda sit.

id quod probatur ex requisitis generalibus pœnarum.

Nam i) in iis  
est malum  
passionis.

S. XLVII. Duo vero adhuc obseruanda sunt, ut *indolem pœnarum ecclesiasticarum genuinam*, prout hodie sese habet, recte perscrutari & repræsentare queamus. Primum est: supra tradita requisita, quæ *pœnam* constituunt, locum quoque inuenire in pœnis ecclesiasticis: alterum: prætextum *spiritualis qualitatis* iis affixum esse argumentum certum atque evidens, *religionem* hoc modo constitui, & quæri in *sacerdotali imperio*, a quo Saluator noster abhorruit, aliisque præceptis discipulos suos & imprimis Apostolos instruxit. Quoad primum negari nequit, in pœnis ecclesiasticis esse (i) *malum passionis*, propositum subditis in *republica ecclesiastica*, ut eius terrore desistant, tum a *contumacia* h. e. ab *inobedientia*, & ita imperantibus sacerdotibus humillime pareant: tum ab omni eo, quod *saluti* huius structuræ *ecclesiastice* aduersatur, & *delicia ecclesiastica* constituit, quæ itidem a *secularibus* quandoque recedunt. Parum autem refert, vtrum *malum passionis* in *priuatione boni* alicuius, an in *inflictione mali positiui* consistat, quod vtroque modo quis terreatur, cogatur & inducatur, ne contra mandata sacerdotalia agat. Inde vero liquet, differentias inter *censuras* & *pœnas ecclesiasticas*

eccl<sup>asticas</sup> esse reuera inanes & solido destitutas  
fundamento, quod etiam antiquitus ignotum fuit,  
vt supra euictum. Quid enim si legislator legem  
tulerit, quod si vel collegia, vel singuli præceptis  
mandatisque eius non paruerint, illa quidem iuris  
dicto, hi vero ab officio vel *exclusione a cœtu ciuium*,  
omnique inde dependente commercio, prerogati-  
uis, iuribusque cum quadam infamia nota castigari  
debeant, donec ad frugem reuersi fidem publice de-  
derint de præcepto imperantis stricte obseruando,  
omnibusque, quæ sibi iniuncta fuerunt, præstandis.  
Quis tam ineptus foret, qui hunc *cogendi* subditos  
modum, quo magnopere affliguntur, magis *censuram*  
quam *pœnam* esse sibi aliisque persuaderet, & qui-  
dem vel ideo, quod *effectum perpetuum* non haberet.  
Nulla enim ratio desiderat, vt talis effectus pœnis  
inesse debeat, sed sicuti datur carcer *temporalis &*  
*perpetuus*, relegatio *temporalis & perpetua*; ita dan-  
tur pœna, quæ modo *perpetuum*, modo *temporalem*  
effectum habere possunt. Præterea vero etiam il-  
lud obseruo, excommunicationem non vnice in  
*priuatione boni cuiusdani* constituendam esse, prout  
hodie se habet; sed eidem quoque cohærere ex  
principiis ecclesiæ Romanae *inflictionem malii positiui*,  
quo excommunicatus torquetur. Fit enim infamis,  
*c. infames C. 6. q. 1.* capite deminuitur, pro mortuo  
habetur, feidis ecclesiasticis priuatur, *c. 53. §. fin. de*  
*sentent. excomm.* a toro repellitur, *c. 1. in f. de except.*  
*in 6. subditi & vasalli eius ab eius nexu liberantur*,  
*c. f. de pœn.* imo ipse imperio summo priuatur, & in  
abiectissimum statum coniicitur, vt extorris, exsul,  
& monstrum humani generis videatur. vid. GIBALI-

quod effectus  
ostendunt  
excommuni-  
cationi tri-  
buti.

H 3

NVS



NVS cit. ir. disp. VII. qu. 8. 9. de DICASTILLO cit. ir. disp. 2. sent. 4. dub. 33. p. 113. seqq. Hæc omnia, quæ tantum in compendio retuli, euincunt probantque, magis hodie, quam in primitiua ecclesia, excommunicationem esse supplicium grauissimum, cum capitis diminutione media comparandum, quæ olim pœnis capitalibus annumerata fuit.

2) Præsuppo-  
nitur deli-  
stum vel  
contumacia.

Atque his  
pœnis sub  
prætextu  
contumacia  
pontifex  
principes co-  
git, sibique  
in causa pro-  
pria ius dicit

§. XLVIII. Præterea quoque (2) pœnæ ecclæsticæ infliguntur ob *malum actionis*. Hoc ad duo genera reducitur, vt vel *contumaciam* vel *delli-  
ctum* aliud designet. Illa in eo queritur, si quis a pontifice & episcopis imperata non præstat, sicuti *contumax* in iure dicitur, qui non paret præcepto magistratus. Grauissimum hoc censetur crimen, rebellioni non absimile, quod iudicis ecclæstici autoritatem lœdat, violet, conculcit, a qua *salus rei-  
publicæ ecclæsticæ & vigor religionis Christianæ* de-  
pendere dicitur. Et si dicendum, quod res est, ple-  
ræque pœnæ in hac republica ecclæstica huc compara-  
tæ sunt, vt in obsequio, humilitate, & fidelitate subditi eiusdem, qualescunque fuerint, contineantur. Obseruavit iam SARPIVS in tractatu supra lau-  
dato, quem de *iure regum principumque contra ex-  
communicationes papales*, occasione excommunicatio-  
nis a PAVLO V. Venetiis inflictæ, conscripsit, præsu-  
lem Romanum cum episcopis territoria, regalia,  
principatus, aliaque iura mere politica acquisuisse,  
& sic siæp evenire, vt de his inter *sacerdotium & im-  
perium* contentiones emergent, quas, ceu nodum  
Gordium, hoc *gladio spirituali* secare & dissoluere  
suevit curia Romana cum aseclis ex capite *conu-  
macie*, id quod rectissime reprobat, ostenditque ex-  
commu-

communicationem hoc modo instrumentum dominatus fieri, papamque cum episcopis constitui iudicem in propria causa. Addit tom. I. p. 85. sq. eo de-  
 ventum fuisse, ut regibus quibuscumque imperantibus imposta fuerit necessitas, de suis actionibus pontifici rationes reddendi, eosque, si iure suo id re-  
 cussauerint, fulmini huic subiectos fuisse; de eius-  
 modi exorbitante potestate vero nec volam nec ve-  
 stigium in euangelio occurrere, sed inuentum esse  
 mere politicum, (*inventata du ragion di stato*) pro  
 scopo interesse mundanum habens. &c. Pariter in-  
 terdicta ob contumaciam infliguntur, seu instrumen-  
 ta papatus sunt, & laicis terror panicus iniectus, quo ipsoregnes, principes atque respuplicas integras  
 ad suum obsequium traduxerunt, effeceruntque, vt  
 laicis liberrime dominari potuerint. Ceteræ poena  
 magis ob delicta alia commissa infliguntur, h. e. lai-  
 cis quidem, penitentia, denegatio honestæ sepulchre,  
 pena pecuniaria &c. clericis vero reliquæ species supra  
 relatæ. Penitentia quidem adeo in penam proprie-  
 dictam degeneravit, vt loco eius in iudicis archidia-  
 conalibus certæ mulctæ exigi soleant, quod ab anti-  
 quo archidiaconis visitationes ab episcopis fuerint  
 commissæ, in quibus de delictis per penitencias ex-  
 piandis actum fuit. Sed rei sua magis congruum  
 esse censuerunt, si delicta laicorum ad sua traherent  
 lucra. Hoc eo facilius fieri potuit, postquam ani-  
 maduererunt, penitentias in penas transmutatas  
 fuisse. Reprobauit quidem ALEXANDER III. in c. 3.  
 X. de pen. hunc morem, quem de radice cupiditatis  
 & avaritiae prodire censuit; sed frustra reprobauit,  
 prout praxis Germanie ostendit, quam concil. Tri-  
 dent.

dent. sess. XXIV. can. 3. certo modo probauit. vid. Dn. KRESSII, professoris Helmstad. celeberrimi Erleute-  
rung des Diaconat-Wesens c. 6 p. 269 seq.

exercentur  
poenæ eccles.  
vi imperii

in republ. ec-  
clesiastica

& quidem in  
subditos

inuitos

§. XLIX. Has poenas censurasque ecclesiasticas porro (3) vi imperii exerceri, supra ex doctrina de DICASTILLO p. 16. probatum dedi, adeo vt ius puniendi simpliciter iurisdictione ecclesiastice assignent, si vel maxime prelates tantum primam acceperit consuram. Ulterius (4)sicuti ius propriæ dictum puniendo societati inæquali proprium est; ita quoque idem asserendum de penis ecclesiasticis, quæ exercentur in republica ecclesiastica, quæ præ ceteris dicitur societas inæqualis ex imperantibus sacerdotibus & subditis constans, vt rursus p. 13. §. 20. declaratum. In huius conseruationem & salutem ius puniendi necessarium fuisse censem, & que vt in aliis quibusunque rebus publicis. A priori simplicitate, qua ecclesia constabat, dum discessum, quæ cum imperio sacro stare non potuit. Illud quoque (5) repetunt trahuntque ex principiis status civilis, quod ius puniendi duntaxat exercendum sit in subditos, vti rursus ex DISCASTILLO p. 16. in f. probatum dedi. Fusius quoque dogma hoc explicat GIBALINVS cit. ir. disquis. IV. q. I. sqq. p. 110. seqq. indeque concludit, 1) Ronianum pontificem a nullo excommunicari posse, ex hypothesia assumta, quod nemini, nisi soli Deo subditus sit: 2) non posse aliquem censuris amplius innodari, vbi desinit esse subditus, quod illæ sint actus iurisdictionis contentiose, & requirant subditum, in quem ius dicatur a superiori, vt p. 115. docet. Illud quoque 6) in confessio est, exerceri poenas ecclesiasticas in inuitos, quia volentes non coguntur, sed nolentes.

Poenas

Pœnas autem remedia coactiva esse, quis vñquam negauerit. De pœnitentia forsan dubium moueri posset, quod hæ sponte subiri soleant, a confessionario impositæ. Sed 1) in vindictam criminis commissi pœnitentias infligi etiam inuitis, eosque ieiunii marcera-  
ri, docet ipsum ius canonicum. c. 36. D. 80. c. 5. D. 82.  
quod etiam  
in pœnitentia accidit

c. 2. de sponsa duor. &c. Detrusio in monasterium pœnitentie agendæ causa non ad volentes & ambientes, sed reluctantes pertinet, & ita pœna rationem habet, quod vel exemplo adulterarum liquet, quæ post fu-  
stigationem ex lege IUSTINIANI monasterio in hunc fi-  
nem includendæ sunt. 2) Supra iam obseruui, etiam pœnitentias a confessionariis impositas, magis ab inuitis quam volentibus suscipi, quod remissio pec-  
catorum ad eas adstricta sit, quæ ex Romanæ ecclesiæ traditione absque iniuncta pœnitentia nihil opera-  
tur.

§. L. Denique illud quoque<sup>(7)</sup> recipiendum exercentur pœna eccles. in salutem tum vt subditi in obedientia filiali, quæ summa est, reip. eccles. conseruentur: tum vt purgetur hæc respublica malis hominibus, præcaueaturque, ne delictis quies eius turbetur. Breuiter: qualis finis est pœnarum cui-  
lium seu secularium, talis quoque est pœnarum ec-  
clesiasticarum, & quod de spirituali qualitate iis affin-  
gitur, inane & ex iuris canonici principio: omnia,  
quæ ecclesiæ sunt, spiritualia esse, depromtum est.  
Transformauit ecclesiam ius papale in totum, & modo politi-  
quæ spirituali modo regi debebat, politica & ciuili co  
ratione gubernatur, atque in ea omnia ad schemata politica composita fuerunt. Pœnas igitur, quas ex-  
ercent ob rationes mere politicas, diuersam naturam

I habere

habere non posse, palam est. Ieiunum est assertum, religionis conseruandæ causa has pœnas exerceri, & rempublicam ecclesiasticam, prout constructa est, esse ipsius religionis opus & substantiam, adeoque finem spiritualem dicendum, quod religio spiritualis dicenda. Prosus a sua pristina simplicitate & vera indole hoc modo religio descivit, vbi in dominatum mutata ecclesia, vbi religio ipsa in cleri dominantis colloca-ta est potentia, & vbi, neglectis mediis diuinis, humana instituta mire politica assumta sunt. Quia itaque ductu scripturæ sacræ Protestantes negant, ecclesiam esse rempublicam, omnemque dominatum eidem ab iudicant, imperii autem & iurisdictionis vigorem statui politico adscribunt, ius puniendi proprie dictum quoque ecclesiæ tribuere non possunt, vel si praxin ecclie antiquam recolunt, cogitare debent, iure collegii exclusionem a communione vel ab officiis sacris expediri, qui effectus sunt humani, omnibusque collegiis communes.

*excommunicatio quoque pena humana est & ciuilis*

§. Ll. In excommunicatione & penitentia quidam diuersum quid obtinere contendunt, adeo ut ZIEGLERVS in not. ad Lancell. lib. XII. tit. 7. §. 2. reprobet canonistas, quod ad forum exterrum tantum restringant censuras suas, cum ex eius sententia etiam conscientias afficiat excommunicatio. Enimuero (α) canonistas idem quoque asserere, & vinculum eidem iniicere, supra iam obseruauit, adeoque non recte in hoc eis dicam scribit. (β) Non negat Dn. BVDDEVS in theol. moral. P. III. c. 3. §. 65. excommunicationem secundum mores hodiernos infamiam ciuilem secum vehere, interdum etiam pœnam grauiorem: vnde non potuit non concedere, hanc exclusionem.

fionem *pænam ciuilem esse.* γ) Hodie quoque secundum ordinaciones ecclesiasticas excommunicatio de-  
cernitur a *iudicio ecclesiastico* & ita per viam iurisdictio-  
nis, adeoque sine dubio *pæna ciuilis est.* δ) Consi-  
tit illa in exclusione a *cœtu externo* ecclesie nec vin-  
culum internum cum Christo soluit, vt plenius docet  
*SAMVEL BASNAGE diff. de excommun. Christian. §. 13. (tom.*  
*II. annal. eccl. p. 486. inserta)* & ex eo quoque Dn.  
*THOMAS. ad Lancell. p. 2149.* quibus etiam iungendus  
*LVDOVICVS ELLIES DV PIN de discipl. eccl. diff. III. c. 3.*  
Vnde potest esse membrum ecclesie externum, qui  
tamen non est vnius cum Christo; & contra ab ec-  
clesia eiici potest, qui cum Christo adhuc manet vni-  
tus. ε) Per se ergo vinculum conscientiis non inizi-  
cit ex sententia ZIEGLERI, si iniusta est; si iusta de cau-  
sa facta, obligat quoque reprobos in conscientia, id  
quod etiam alis *pænis ciuibibus* commune est, vt recte  
docet Ill. Dn. THOMAS. cit. I. p. 2134. Conf. Dil. PERT-  
SCHIVS vom Recht des Richenbanns c. 12. §. 9. seqq. quod etiam  
Pari ratione *poenitentia externa*, cum ex mente iuriis  
canonici animaduersio est, tum ad instar poenæ hu-  
manæ exercetur apud Protestantes. Id apud nos  
in confessio est, eam esse *inuentum humanum*, in va-  
rios abusus tractum, & a prima ratione prorsus alienum.  
Etiam apud nos *forensi more* de ea cognosci,  
atque per sententiam consistorii vel extraneorum col-  
legiorum illa decerni, imo aliquando immutari solet  
in *pænam pecuniariam*, ne dicam, eandem apud nos per  
viam *gratia* nonnunquam remitti, quæ omissa talia *ex-  
equia* sunt, quæ *pænis ciuibibus* competunt. De reliquis  
poenis, vt *depositionis, suspensionis, carcerum & multarum*  
nil

hil attinet dicere, quæ adeo *civiles* sunt, vt citra aper-tum fucum ab his distingui non possint, vnde etiam pœnas has *vindicatiuas* vocat WIESTNERVS prout supra §. 7. obseruauit.

Pœnas san-guinis non exerceat ec-clesia

non tamen propter in-dulgentior dicenda.

Ratio huic disciplinae.

§. LII. Demonstratum est haec tenus, pœnas ecclæsiasticas esse mere *politicas*, & ipsam quoque ecclæsiam in *statum politicum* esse transmutatam, adeoque etiam pœnas, in *statu ciuili* vistatas, ab ea receptas esse. Interim tamen hæc res publica vastissima semper a *pœnis sanguinis* abhorruit, in qua obseruatione occupatur membrum *ostium* supra §. 15. positum. In hoc vnicæ hæc res publica *ecclæsiastica* a ceteris *secularibus* diuortium facit, non tamen ea propter mitior, aut indulgentior dicenda, quod æque dirissimas pœnas, capitalibus respondentes, exerceat, quales in gladio *spirituali* & *pœna immurrationis*, quæ quotidiana mors est, imo & aliis, quas inquisitorius processus contra hæreticos suggestit, occurunt. Sententia inquisitionis apud BALYZ. lib. I. miscell. pag. 207. horroris plena id declarat: *idcirco in iis scriptis definitiue pronunciamus & indicamus, ipsum Bernardum perpetuo immurandum, ab omnibus ordinibus degradandum, & quod in detestationem tanii criminis (hæreses) duas cruces croci coloris unam ante in pectore, aliam post inter scapulas in superiori ueste perpetuo debeat portare, (pane doloris & aqua angustie sustentandus, vt additur in c. 27. X. d. V. S.) Quod si de dicto muro siue carcere fugeret, vel portare eiusmodi cruces recusaret, eo degradato ipsum tanquam impunitentem & hæreticum curia relinquimus seculari*. Ceterum quod magistratus ecclæsiasticus pœnas capiteis non exerceat, nec exequatur, ad antiqua pri-miti-

mitiūe ecclesie dogmatum rudera referendum, quæ panas capitales adeo reprobabat, vt Christianum ne quidem carum exsecutioni salua conscientia interesse posse docuerit, quod ex doctrina patrum antiquorum probatum dedit ARNOLD in represent. prim. Christ. Lib. V. c. 4. Quin quod per secula priora eam tantum disciplinam exercuerit, quæ etiam in collegiis aequalibus locum habere potest, nec iurisdictionem aut imperium in exsecutione sua desiderat, a cuius conceptu adhuc paulo alienior videbatur. Interim apparenter hodie tantum abstinet a poenis sanguinis, Hodie vero quas per magistratum secularem eo ipso exercet, quo haereticos eidem tradit, non alia de causa, quam vt igne comburantur. Ni enim hoc fecerit, ipsi magistrati imminet vindicta ecclesiastica. Evidem in c. nouimus. 27. de V. S. disponit pontifex, quod ecclesia pro eo, qui traditur curie seculari, efficaciter intercedere debeat, vt citra mortis periculum circa eum sententia moderetur. Enim vero dicit gratia hanc intercessionem fieri, & parum idonee ad hodiernas inquisitiones haeretica pravitatis applicari posse, ostendit LIMBORG in hisor. inquis. lib. IV. c. 40. simulque per totum tractatum declarat, inquisitores in ipso processu contra haereticos esse immittissimos, seuerissimos, & nil nisi crudelissima spirare.

§. LIII. Atque hæc quidem sufficient, pro conclusiones declaranda genuina indeole panarum ecclesiasticarum. ex hac tenus dictis Eccidem iam obseruauit, Protestantes plerosque ecclesiis statum reipublicæ haud assignare, sed poenas hasce relinquere iudiciis ecclesiasticis, non ab ecclesia, sed a republica dependentibus, quo ipso ad puriorum statum res ecclesie deduximus; interim tamen

1) quod pœna  
seculari pu-  
nitus non  
possit subiici  
pœnitentia

etiam quæ dicta sunt, in nostros usus passim transferre possumus. Primum est, quod ex sententia CARPZOVII Lib. III. iur. consil. def. 84. sqq. pœnitentia publica sine prescritu & consensu consistorii nemini infligenda sit: quandoque ex probabili & iusta causa in pœnam pecuniariam transmutari queat, per dispensationem consistorii, quia *proprie dicta pœna* est; nihilominus tamen def. 94. existimat, facta deprecatione publica reum non liberari a pœna *fori secularis*, nec unam alteram absorbere, & sic reum in dupli foro puniri. Hoc tamen contra rationem iuris est, quæ minime admissit, quenquam ob idem delictum dupli affici pœna. Hac de causa ipsem in pr. crim. qu. 69. n. 53. saniorem sequitur sententiam, docetque pœnam stupri, vel mitigari vel plane remitti, si quis publice pœnitentiam egerit, præsertim, quod hæc maior ac grauior habeatur, pœna *carceris*, adeoque merito pœnas alias absorbere debeat. Ita quidem hac in re fluctuauit CARPZOVIVS, sed non alia de causa, quam quod non adeo a doctrina, de *duplici republica*, *seculari* ac *ecclesiastica*, alienus fuerit, supposueritque, censuras ecclesiasticas esse *medicinales*, uti cit. def. 94. *iurispr. consilior.* loquitur. Euidens autem est, posteriorem sententiam priori omnino proferendam esse.

2) quod ex-  
communica-  
tio in ecclæ-  
sia Protes-  
tantium vario-  
rem usum ha-  
bere debeat.

§. LIV. Alterum est, licet in omnibus fere ordinationibus ecclesiasticis *excommunicationis* processus determinetur, & consistoria præscribatur, vix tamen esse, ut hodie in foris Protestantium in usum deduci possit. Etenim si ex usu primitiæ ecclesiæ omnem eius rationem aestimamus, certum est, eam nemini infligi posse, nisi qui grauioribus criminibus

vt adulterio, homicidio, furto &c. sese maculauerit. Enim vero ob hæc crimina atrociora hodie *criminalis pena* decernitur, quæ non admittit, vt delinquens præter eam alia adhuc poena ecclesiastica & sic *duplici castigatione* coercentur. Docet enim praxis primitiæ ecclesiæ, rarissimam olim electionem, nec eam inflictam fuisse, nisi quis de *graviori criminis* aut confessus aut conuictus fuerit, vt non diffitetur *FLEVIRVS in institut. iur. eccl. P. 3. c. 20. §. 2.* Non itaque in ecclesiis nostris *leuioribus ex causis* infligi potest, si vestigiis primitiæ ecclesiæ insistere intendimus, quo supposito vsu eius fere exulabit, quia ob crimina delinquens *criminali penam* afficiendus, quæ alii præterea poenæ locum non relinquit. Tertium est, quod licet *remotio* pastoribus in poenam dictari soleat vi *in-risidictionis* a consistoriis, ea tamen non ita *iudicis ecclasiasticis* alligata censerri debeat, vt nonnunquam etiam non possit exemplo primitiæ ecclesiæ vel ipsis *ecclesiis vel patronis* concedi. Diserte cautum est in *ord. consil. March. tit. 10. §. fin.* Weil die Patroni und Collatores, welche Pfarrer zu vociren und præsentiren, auch wieder zu enturlauben hergebracht haben, soll es darben nochmahlis gelassen werden. Neque absolute reprobandi, si vel *ecclesiæ* vel iis, qui ex ecclæ eam repräsentant antiquo more adhuc relietum, vt possint remouere postorem indignum, quippe quod *iure collegii* effici potest, & illis imprimis *ecclesiis competere*, qui sacra quodammodo priuata, ex sola reipublicæ gratia, exercent, vt pote quarum non adeo rationem habere solet.

T A N T V M .

NOBI-

NOBILISSIMO DOMINO

C A N D I D A T O

S. P. D.

CHRISTIANVS THOMASIVS.

X docta tua dissertatione, quam censuræ meæ  
more solito exhibuisti, perspectum habeo,  
te reliquis papalibus, quæ etiam in nostris  
ecclesiis altas radices egerunt, neutquam esse addi-  
ctum, sed saniorem de poenarum ecclesiasticarum  
fine & effatu fouere sententiam. Sapit hic secessus a  
multitudine errantium & inuestigatio veritatis singu-  
larem doctrinam, quam mihi ab eo iam tempore,  
quo hic studiorum causa commorabaris, meisque le-  
ctionibus diligenter intereras, satis superque com-  
probasti, qua non vulgari scientia cum morum suau-  
itate coniuncta, editisque speciminiibus ita me cepi-  
sti, vt Tibi de conferendis in vtroque Iure summis  
honoribus gratulando, quam mihi semper fueris char-  
rus, publicum perhibeam testimonium, nec vanus  
Tibi augur exsistam, Te in foro hactenus exercita-  
tum, pro ratione meritorum ad maiora admotum iri  
officia, quod vt Tibi, Tuæ genti, & Patriæ feliciter  
cedat, ex animo precor. Dabam Halæ Saxonum,  
d. 8. Iulii Anno 1727.

CLA-



CLARISSIMO  
C A N D I D A T O  
S. P. D.  
P R A E S E S.

R eligionis magnam vim esse, ac in hominum animis singularibus edere effectus, in dubium vocari nequit, & ratio ipsius religionis, quæ animæ præst, demonstrat. Quo magis vero ab internis recedit operationibus, & ad externa schemata declinat, nouumque statum publicum, cum imperio, poenis, ac iudiciis efformat, eo minus suam virtutem conseruat, imo noxia esse incipit, quæ debebat esse animæ medicina. Dum hæc mecum reproto, non possum non vicem religionis illius, quæ vera, solida atque vnicæ salutis nostræ effectrix est, dolere, quod a plurimis tam depravata fuerit, vt magis statum ciuilem, quam regnum Christi efformare apta esse videatur. Argumenta singularia hanc rem illustrantia in dissertatione Tua, Clarissime Candidate, adduxisti, atque eo deduxisti ac pertractasti modo, vt tum eruditio Tua præclara, tum etiam ingenii Tui præstantia inde appareat. Detraxisti laruam poenias ecclesiasticis, quæ in Romana ecclesia a sacerdotibus exercentur, atque liquido demonstrasti, illas religioni christianæ haud conformes, sed potius dominatus sacri instrumenta esse, Apostolos autem a Christo ad imperandum haud electos, sed ad docendum delegatos fuisse. Satisfecisti meo iudicio, Tuo officio, & nihil intactum reliquisti, quod in hac doctrina monendum erat, adeoque non dubium est, quin eruditorum suffragia sis latrus. Qua de re Tibi ex animo gratulor, simulque vt honores doctorales, quorum causa certas, prospere Tibi cedant, appreco. Vale. Dab. d. 12. Iul. 1727.

K

CON-



CONSULTISSIMO

DN. CANDIDATO

S. P. D.

D. AVGVSTVS GOTTHELFF HILLIGER.

Multa æque ac præclara ICTIS nostris ab antiquissimis  
iam temporibus a summis imperantibus adscripta esse  
priuilegia nemo forsitan ignorat. Ea ipsa autem an  
omnibus iis, qui Academicis insigniti sunt honoribus, priu-  
legiisque doctoralibus, an illis forsitan solummodo, qui iura  
nostra in Scholis ac Academiis docent Doctoris vel Professo-  
ris munere re ipsa funguntur, sèpius disputatum esse memini.  
Negantem qui sententiam defendunt, solisque docentibus  
in Academiis Doctoribus hæc priuilegia vindicant ad Leg. 6.  
*Cod. de Profess. & Med.* prouocant, ex eaque hanc illis præ-  
aliis prærogatiuum adstruunt, quod ibi *legum Doctorum tan-*  
*tummodo fiat mentio*, per quos Imperator, CONSTANTINVS  
sine dubio solummodo *leges docentes* intellexisset. At enim  
vero aientem sententiam & veriorem & æquam magis esse,  
iuraque hæc ac priuilegia & iis Doctoribus legum, qui vel  
in aulis Principum, vel foro scientiam iuris exercent, tribui  
debere, sequentes rationes fidem mihi faciunt. Primo siquidem  
alii haud infimi subsellii ICTI dudum observarunt, le-  
gem allegatam ideo neganti sententiæ patrocinari non posse,  
quod Doctores leges docentes iam sub generali *Profforum*,  
in illa ipsa lege facta denominatione comprehendantur, & hinc  
potius per illos Causarum Patroni, aliquæ Iureconsulti, iuri-  
ris scientia ac peritia sua Reipublicae inservientes, intelligi  
debeant. Deinde autem & hi forenses scil. Oratores, aut  
qui

qui in aulis Principum alias a Consiliis sunt, consulendo, aut  
clientelos suos instruendo, iuraque ad facta rite applicando,  
eadem satis docere intelliguntur, quemadmodum ex l. 2. §.35.  
*ff. de Orig. Iur.* cum nostri temporis Iureconsultis intrepide  
colligimus atque adserimus. Si enim ad Iureconsultorum  
maxime Romanorum prima incunabula reuertamur, eos ante  
Cn. Flauii & Sext. Aelii etatem, neque scribendo, ne  
que oretenus principia Iuris proponendo iura publice aut  
priuatim docuisse, Antiquitatum Romanarum gnari probe  
obseruarunt, sed in eo Iureconsultorum subsistebat munus,  
vt vel oretenus de Iure responderent, vel in foro disputa-  
rent, litigantiumque lura strenue defenserent. Hinc quo-  
que frequenter medio foro inambulabant; veluti obuii &  
communes iis, qui haererent incerti & remedium sibi consulerent.  
*Priuata iudicia*, inquit CICERO Topic. XVII. maximarum  
quidem rerum in Iureconsultorum mihi videntur esse prudentia.  
Nam & adsunt multum (in medio foro) & adhibentur in Con-  
siliis (domi scilicet) & patronis ad eorum prudentiam conflu-  
gentibus hastas ministrant. Vnde & Aduocati dicti sunt. So-  
lebant autem eodem CICERONE Teste de Leg. l. 3. domi sue sibi  
constituere solium ex quo confluentibus ad se Clientibus tanquam  
ex Tripode responderent. Non mirum ergo est, quod eidem  
CICERONI Lib. 1. 45. de oratore, dominus eiusmodi Iureconsulti ora-  
culum totius Civitatis esse videatur, quod Civis de rebus suis in-  
certi, per eos certi dimitiantur, & quod eadem de causa & ho-  
derni eminentissimique nominis Iureconsulti causarum Pa-  
tronos, tanto maiori honore & priuilegiis doctoralibus eo  
magis dignos iudicent, quod ipsi rem ad praxin deducant,  
& in ipso opere veris & fictis quaestioneibus (in modum ve-  
terum disputationum forensium) versentur. Et si ad causam  
Priuilegiorum horum impulsuam, vt in scholis loquimur,  
respiciamus, sine dubio ea propter a summis Imperantibus  
Iureconsultis impetrata sunt, quod reipublicæ salus, eorum  
opera, legumque ad facta applicatione, promoueatur, & in  
quo omnis iuris scientiae, iustitiaeque finis collocatur, suum

cuique tribuatur. Hoc autem quum a forensibus oratoribus omnino fiat, tam honorificis titulorum encomiis condecorati, togatorumque militum nomine ab Imperatoribus LEONE & ANTHEMIO in l. 14 Cod. de Aduoc. diuersi iud. insigniti sunt, utpote qui gloriose vocis munimine laborantium spem, vitam & posteros quasi militando defendunt, ideoque humano generi non minus prouidere reputantur, quam si praeliis atque vulneribus patriam parentesque saluarent. Imo si docentium munus eorumque ad illud necessariam aptitudinem recte ac philosophice considereremus, illos ipsos, qui forensibus praesunt causis, & in militia hacce togata diu versati exercitatique sunt, ad illud maxime aptos pronunciare non dubitamus. Philosophi siquidem in docente, & quidem intellectus intuitu, haec reponunt qualitates, vt non solum *theoretice docti*, vel in ea ipsa scientia, in qua alios erudire capit, veris, certis, solidissimisque principiis imbutus, sed & *præcepta prudens* sit, quo principia & *præcepta doctrinae* suæ non solum clara, perspicua & adæquata methodo discentibus suis communicare, sed & quomodo ad ipsa rerum argumenta applicari & finis propositus eo facilius obtineri possit, demonstrare valeat. Quam ad docentis munus adeo necessariam prudentiam & aptitudinem, an in Professore Academico theoretice tantum docto, æque ac in Oratore forensi probe exercitato deprehensi simus, quilibet rerum æquus æstimator facile dijudicarit. Ego autem, quemadmodum illis in Academiis degentibus docentibusque Doctoribus & Professoribus, qui secundum l. 7. C. de Profes. & Med. & doctrina & moribus & facundia excellunt, suos honores & Priuilegia non inuideo, aut in dubium vocare audio, sed potius pro veris Legum Doctoribus, quos Galli CHEVALIERS DES LOIX vocare amant, habeo, ita & Caufarum Patronos, illos scilicet, qui & solida iuris philosophia & prudentia practica instructi sunt, eadem vindico, & dignos iudico, qui & imperialibus hisce beneficiis perfruantur ac fungantur. Sed mitto quæstionis huius vteriorem discussionem, nec ipsa Doctorum allego priuilegia omnibus iam nota potius.



tiusque ad TE CONSULTISSIME DOMINE CANDIDA-  
TE, iam verba facio, Tibique de dignitate priuilegisque Do-  
ctoralibus mox acquirendis animitus gratulor, eo que magis  
& lubentius, quo dignorem iisdem omnes TE mecum de-  
prædicant. Non prius enim splendidum Doctoris Titulum  
& munus adfecisti, quam & solida nec fucata legum scientia  
imbutus, & practica quoque prudentia, ipsaque rerum foren-  
sium peritia satis instruetus es, & postquam edito eleganti stu-  
diorum Tuorum specimine ad duocati Officium, ab Augu-  
stissimo Rege nostro admissus, per aliquot annos in foris Sa-  
xonicis, ambigua Causarum fata præcipiente allegata l. 14. C.  
de Adv diuersiudicior. prudenter dirimisti, & tuæ defensionis  
viribus lapsa crexisti, fatigataque omni cum laude reparasti.  
Dignus ergo es, & Titulo, & Priuilegiis Doctoris, imo di-  
gnus es, qui dum his ornatus in Patriam & ad Parentes Tuos  
honoratissimos abis; his & illæ humanæ felicitatis cumulus ac-  
cedat, vt in matrimonio mox contrahendo a Sponsa Tua Vir-  
gine elegantissima & ornatissima, castissimis, simul ac suauissi-  
mis Amplexibus exceptus, & in thorum postea receptus, can-  
didissimo eius ac constanti amore, dulcissimoque vitæ con-  
fortio, sanus, saluus & incolunis, ad seros vsque annos, vta-  
ris, fruaris, ideoque & hoc nomine Tibi gratulor, Deumque  
precor, vt non solum matrimonium Tuum felix faustumque  
esse, iubeat, sed & honoribus hisce Tuis felicique Coniugio  
condignum superaddat munus, in quo quid humeri tui ferre  
valeant, præstare, Patriamque Tuam inlustrare possis. Me au-  
tem vt porro ames enixe rogari. Dabam Dresden die 28.

Iun. 1727.

L

VIRO,



537

VIRO PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO  
CONSULTISSIMO DOMINO

MARTINO GALLO KVHNIO

S. P. D.

CHRISTIANVS GOTTLÖBIVS PETERMANNVS  
DRESD.

**N**on possum non, Amice æstumatissime, cum ab Academicis inde annis arctior inter nos & singularis amicitia intercesserit, quin eam nunc quoque publice testam faciam: postquam TVIS virtutibus dignus honor per impositionem laureæ in Alma Salana decernitur. Facile dabis veniam: si non per ambages, sed brevibus tantum hoc pietatis officio defungar; cum non encomiasten TVARVM laudum agere, sed gratulari tantummodo & bene precari instituerim. Ipsa specimina TVA, publicæ luci exposita de TVIS dotibus loquantur, materiæ dignitas & argumentorum pondera ingenii, iudiciique vim produnt, vt in hunc campum excurrere mihi non sit necessæ; vt de eo etiam nunc fileam, quod in administrandis & defendendis clientum causis adhuc prestitisti. Illud vero magis in TE admiror & prædico, quod & ipse sepius expertus sum, animi candorem, fidem, æquitatem, constantiam, & quæcunque virtutes ad bene beateque viuendum vtramque faciunt paginam. Maclæ isthoc animo, mi Kuhni, & quo rarior ille in hoc deperdito seculi statu est, hoc magis illum exerce. Sichabebit patria, in cuius amplexus denudo abis, sic habebunt amici, clientes, boni denique omnes de quo sibi impense gratalentur; sic erit, de quo & ego gaudem, absensque amicitiae, quæ inter nos est, rationem habeam. Deus vero, cuius nutu ac voluntate res nostræ fluunt, ac geruntur, Te sospitet, seruet, ac omni felicitatis copia largissime perfundat. Vale. Datum Dresdæ, Calendis Iulii  
CIC 10 CC XXVII.












**ULB Halle**  
003 902 96X

3



82





# Farbkarte #13



1787  
7654  
10

*AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
IVINA ARVM  
SIASTICA-  
INDOLE*

*QVAM  
VLTATIS IVRIDICAE*

*FRIDERICIANA*

*AESIDE*

*M I N O*

*ING. BÖHNERO*

*IC TO*

*IAE REGIS CONSILIARIO IN-  
DRE IVRIS ORDINARIO*

*LICENTIA*

*VE IVRE CAPESENDI HO-  
VILEGIA DOCTORALIA*

*. IVL. MDCCXXVII.*

*L. Q. C.*

*RVM EXAMINI SVB MITTIT*

*GALLVS KVHN*

*NA LVSATVS  
MARCHIONATVS LVSATIAE INFERIOR.  
ORATVS SAXONIAE.*

*AGDEBVRGICAE  
GRVNERTI, Academ. Typogr. (10 1/2)*